Divus
IOANNES CHRYSOSTOMUS

Aureus Ecclesiæ Christi Doctor,

Romanæ Catholicæ Veritatis Oecumenici Concilii TRIDENTINI Decretis firmatæ incorruptus Assertor

Eremitarū Camaldul. Insulæ Vigrensis

A Lutheranismo

Cujus, Eum IOAN. FRIDERICUS MAYERUS D. Grimmensis reum conficto nomine, fecit,

Et falsis Argumentis probavit Lib. edito Anno D. 1680.

Vindicatus,

Per Joannem Franciscum Hacki Societatis JESU Theologum.

Anno

à primùm cœptis Humani Generis Vindiciis

M. DC. LXXXIII.

Typis MONASTERII OLIVENSIS Sacri Ordinis Cisterciensis,

Imprimebat Georgius Franciscus Fritsch, Factor.

S. IRENÆUS Lib. 3. Cap. 2.

ADversùs tales certamen nobis est, qui more serpentum lubrici undiq; effugere conantur. Quapropter undiq; resistendum est illis, si quos ex his retusione confundentes, ad conversionem veritatis reducere possimus. Etenim si non facilè est ab errore apprehensam resipiscere animam, sed non omninò impossibile est errorem effugere appositâ veritate: sine fuco autem est Veritas, & propter hoc pueris credita est.

ILLUSTRISSIMO
ac
REVERENDISSIMO
DOMINO, DOMINO
ANDREÆ
CHRYSOSTOMO
DE ZAŁUSKI

Supremo Poloniarum SECRETARIO, Gnesnensi, & Sacræ Reginalis Majestatis CANCELLARIO, ABBATI Wachocensi Ordinis Cisterciensium ADMINISTRATORI perpetuo, CANONICO Cracoviensi, SCHOLASTICO Lanciciensi, PRÆPOSITO Jaroslaviensi.

Domino & Patrono Colendissimo.

AUreum Christianæ Eloquentiæ Os, Totus omnipretiosior auro: Magnus Ecclesiæ DEI Viventis Doctor: Illustris Constantinopolitanæ Sedis Patriarcha, D. Joannes Chrysostomus per in-

clyta

PP. Ertarii Camald. * In Insula Vigonsi

clyta Illustrissimæ Domûs Tuæ atria in orbem & lucem prodit ovans. Quia à Lutheranismi impostura Tuis sub Auspiciis palmariter vindicatus. Nullibi scilicet post Polum liberior sibi futurus, quàm in Polonia videbatur: Joanne præsertim sub Principe, qui in Libertatis Regno natus, eandem ferro vindice asserit; & ante vitam, quâ nihil cariùs, Regum Liberrimus, ponit Reginam Libertatem. Placuit porro Grimmensis Saxoniæ Capiti Arietem tuum admovere, quò faciliùs expugnaretur; & à Magno Regni Poloniæ Secretario secretum hoc contendens in publicum, gloriosiùs orbi evulgaretur, heterodoxum Doctorem Saxonicum non lapidem esse Lydium, ad quem aureum Chrysostomi orthodoxi Doctoris Caput probari possit. Piissimus Antistes, prout in vitâ terris jactatus & alto, sic post innocens fatum, etiam dum inter æternitatis beatæ delicias dulciter quiescit, hic necdum ab adversariorum telis exemptus, ausu sacrilego interpellatur. Non esset

aureus, nisi juges haberet Insidiatores. Eum etenim ipsum Capitalem expertus hostem, qui suæ malæ-fidei causæ fidum conciliare Patronum contendebat. At aureum omnique gratiâ Joannis ornatum Os, fraudulenta subdoli amici oscula dedignatur. Circumlustravit ergo in Poloni cœli Zodiaco, ubi sisteret Doctorum Sol, & commodùm in Junosfiani Arietis domo constitit. Quàm ô quanta antiquissimarum in Regno familiarum collustrant sidera! hinc Olssoviorum falces crucigeræ in cœlorum faces abeunt: inde Soleæ Koniecpolianæ solem in agno accendunt. Ut Duniniani oloris sidus consangvineam cum Koniecpolsciis miscet lucem, & geminatam in Te refundit! ut Koryciniæ secures famæ tuæ spondent securitatem! & in altis Kazanoviorum turribus ingens gloriæ Tuæ panditur capitolium! Manu mitto fortes columnas in quibus tutò semper nutans Polonia recubuit. Recumbit hæc inter non minùs ornamenta, quàm præsidia cum vindiciis suis

Chry-

Chrysostomus, eò fidentiùs, quòd apud Chrysostomum. Illius nimirum luce sacrâ lucem hanc inter sacra Natus: gaudiumque materno dolori substituens aspexisti. Ita haud vano omine non doloris Te Filium, sed gaudii & honoris, deliciarumque orbis Poloni futurum ipsa præsagiebant incunabula. Mirari volebam ante annos, animumq; tuum Curasq; Viriles, Vivacitatem Ingenii rarissimam, juxta ac vastissimum Judicium semper supra ætatem, agendi dexteritatem & prudentiam supra exempla: sed amolitur admirationem vel unica ortûs Tui cogitatio. Nec enim vivere aliter cœpisti, (ex Commentariis famæ certæ loquor) prætérquam communem mortalium consvetudinem prætergressus: stupuimus in ætatis Tuæ Vere Autumnum: legimus admirabundi, quis enim carpere audeat vel ausus fuisset? Nobiles Ingenii Virtutumque Tuarum fructus: ibi, ubi flores alii vix promittunt. Suspexit in oculis etiam meis, raras dotes Ravense imprimis, Summorum utroque Senatu Virorum feracissimum

simum

ſimum Collegium, tum & Calisſienſe Junosſianum, ſtupuit alma Univerſitas Cracovienſis; nec poſt hanc illud orbis Miraculum Roma, Gallia, Hiſpania, Portugallia, Belgium, Hollandia deſiderârunt in Te quod mirarentur. Quota autem Laudis tuæ Portio à Pontificio de Ambrun fluens Calamo? Tenet tenebitque olim in ſeram poſteritatem reviroſcens ſemper fama literas ad Celſisſimum Principem & Primatem Regni, Avunculum autem Tuum (illum inquam non absque cura & deſiderio memorandum Olſzovvski) datas ex Galliis cum invidendo maximis Elogio. *Zaluſcium Divino Conſilio ad Magna Natum.* Et verò Magnum & Magnorum eſt Legatione ad Principes in Hiſpaniam & Gallias gloriosè defungi: defunctus es. Vellus aureum à præcoci Michaëlis Serenisſimi fato inter ſolennia reddidiſſe; reddidiſti. Magnum denique & baſilicum, ut plurima abſolvam calculo in Portugalliam primùm ex Nobilitate Polonâ charactere Oratoris inſignem Africæ limen Ulyſi-

lysiponam adiisse; adiisti gloriosissimè. Neque hìc stetit, aut tam vastis, Tua magnitudo clausa est limitibus. JOANNIS III. Poloniarum Regis feliciter tunc electi (ad excidium, vel depressionem barbarorum nati Principis, si triumphos ejus non otiosa spectâsset Europa) primum Christianissimo Regi nuntium, eâ lingvæ Gallicæ ad omnes numeros facilitate, felicitate, & nitore attulisti, ut diu natus Indigena Galliæ crederis: Redibas plenis gloriæ, sed citra tumorem, velis in patriam & prævertens Tui Nominis Fama honoribus Te designabat. Salutavit reducem postliminiò Cancellariatus Primatialis, non tam Avunculi Tui Illustrissimi, quàm virtutis ac dignitatis Tuæ suffragio. Accessit huic munus Gnesnensis Cancellarii, Lancicienfis Scholastici. Properavit honores Canonicos & Cracus: Sed hoc vel maximè ad magna natam evincit Indolem, quòd in Serenissimis talium tantarumq; Majestatum oculis perpetuus, non tantùm nõ decreveris; verùm etiam in judicio, & Corde Principũ indies grãdescas.

It meritis cumulatus honos, & Dignitas Dignitate truditur. Jam Sacræ Reginalis Majestatis Cancellarius: munere in isto non tam sigillum quàm Tui amorem æstimationemvè quotannis auctiorem apud omnes haud invidos, imprimis. Jam superioribus Comitiis generalibus in Reipublicæ facie Magnus Regni crearis Secretarius. Novissimè etiam oblata ultrò per cessare nesciam Regis beneficentiam, Abbatiâ Wąchocensi adauctus; necdum in auge constitisti. Imminent emerito Vertici Infulæ, respectant Te grandiores Aræ, & ambiunt. Liquescunt tui desiderio Regni Ceræ, & in Agnum refinguntur. Pari demum maximis honoribus animo, imparia Vota succumbunt. Patieris ergò Illustrissime ac Reverendissime Præsul Innocentissimum prorsus Antistitem Chrysostomum à palmari injuriâ sibi iniquissimè à Doctore Grimmensi impactâ, vindicatum: ut magnum, hoc est, Tuum sequatur Agnum Pastor, quocunque ierit. Sic nempe

hoc Duce, hoc Comite ſecurus orbem literatum inoffenſo calce pervadet: è Tuoque orthodoxo Agno ſole clariùs orbis intuebitur & agnoſcet Patriarcham Conſtantinopolitanum verè bonum Paſtorem fuiſſe, eſſeque, illius orthodoxæ Eccleſiæ, quæ in Concilio Tridentino congregata unum in terris ſupremum Chriſti Vicarium, Paſtorem, & unum Ovile repræſentavit. In qua demum Tibi Magnus Tuus Tutelaris Antiſtes, è propenſiſſimi animi mei Voto, ſummas in terris Infulas, in cœlis Coronas diſponit.

ILLUSTRISSIMÆ ac REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS VESTRÆ

Humillimus in Christo Servus

J. F. H. S. J.

APPROBATIO.

HIc Liber, cui Titulus *Divus Joannes Chrysostomus aureus Ecclesiæ Christi Doctor à Lutheranismo per Reverendum Patrem Joannem Franciscum Hacki Societatis JESU Theologum Vindicatus*, omni ex parte laudandus, & luce publicâ dignissimus est. Datum Vladislaviæ Die 28. Augusti 1682.

BALTHASAR ALEXANDER GISSA,
V. J. D. Gnesnens. Vladislaviens.
Varsaviensis Canonicus, Officialis
Generalis Vladislaviensis.

FACULTAS.

LIbrum Patris Joannis Francisci Hacki, cui titulus, *D. Joannes Chrysostomus à Lutheranismo vindicat9*, &c. Cùm aliquot è nostris Theologis luce dignum censuerint, potestate mihi datâ ab A.R. Patre nostro Carolo de Noyelle Præposito Generali, còncedo ut imprimatur. Cracoviæ die 5. Decembris 1682.

STANISLAUS BRANICKI,
Societatis JESU per Regnum
Poloniæ Præpositus Provincialis.

INDEX.

INDEX

Controversiarum & Paragraphorum hoc libro Contentorum.

PRÆ-

PRÆFATIO
Ad Benevolum Lectorem.

EST cur Ecclesia Romana Catholica gratuletur sibi, gaudeatque quòd hoc ævo non pauci Dissidentium Sectariorum, præsertim è familia Lutheri, præter S. Scripturam ad S S. Ecclesiæ Patrum & Doctorum in rebus fidei recurrant autoritatem. Etenim duplex in eam exinde derivatur emolumentum. Primum, quia spectat manifestè hæc sancta Mater Ecclesia eos tantùm à primo illo suo rigore, quo solum Verbum DEI scriptum, pro sola & unica norma seu regula, atq; judice fidei, Ecclesiæ autoritate repudiatâ statuebant, desciscere; quantùm sibi seu arbitros, seu Testes Veritatis in causa Religionis S.S. Patres adsciscunt. Etenim quo fervore, aut veriùs furore venerandum hunc Patrum Senatum oppugnaverit Lutherus Dissidentium à Romana Catholica Ecclesia præterito seculo Dux & Autor, disertè testatur ipse contra Erasmum de Servo arbitrio scribens, *Deponite*, inquit, *quidquid armaturæ suppeditant Orthodoxi Veteres, Theologorum Scholæ, Autoritas Conciliorum, & Pontificum, consensus tot seculorum, ac totius Populi Christiani. Nihil recipimus, nisi Scripturas: sed sic, ut penes nos solos, sit certa autoritas interpretandi. Quod nos interpretamur hoc scripsit Spiritus S. quod adferunt alii, quamvis magni, quamvis multi à Spiritu Sathanæ, & alienatâ mente profectum est.* Quin Lib. adversus Regem Angliæ, post fastuosam illam gloriationem, quòd doctrinam suam è cœlo habeat, addit *se ne quidquam curare, si mille Augustini, mille Cypriani,*

ipsi adversentur: adeò enim se certum esse, ut nullius quidem Angeli Judicio eam velit subjicere, sed ejus doctrinæ testimonio judicaturum se & ipsos Episcopos, & Angelos. Suffragatur Lutheri præcipuus Cultor Aurifaber in Colloq. mens: hæc ejusdem verba satis arrogante ore prolata allegans. *Hieronymus legi potest, propter solam Historiam: Nam fidei & veræ Religionis ne semel quidem in suis scriptis meminit. Origenem jam olim excommunicavi, Chrysostomum nullo loco habeo, nihil enim est, nisi loquaculus. Basilius planè nihil valet totus est Monachus, ego ne pili illum facio. Apologia Melanchtonis superat omnes Doctores Ecclesiæ, etiam ipsum Augustinum. Item Hieronymus in Doctores Ecclesiæ numerari non debet, fuit enim hæreticus. Credo tamen salvatum illum per fidem in Christum. Non loquitur de Christo, nisi quòd nomen illius in ore ferat. Nullum inter Patres scio, cui ita sim inimicus atq; Hieronymo, nihil enim scribit, nisi de Jejunio, de delectu ciborum, de Virginitate, &c.* Non commemoro hic qualis fuerit sensus de eisdem SS. Patribus ejusdem discipulorum. Philippi Melanchtonis, Magdeburgensium Centuriatorum, Spangenbergii, Schnephii, Pomerani, cæterorumq; quos fusiùs citant alii. Vide præter alios, Confess. Ambrosianam Joannis Nopelii in Epist. Dedicatoria. Remittere itaq; videntur à primo illo suo fervore, an furore? contra S.S. Patres, quando eos sibi amicos, suæq; causæ Patronos conciliare contendunt. Unde Ecclesia Romana Catholica gaudendi & gratulandi sibi meritò sumere potest occasionem. In venerandis namq; illis Patribus Ecclesiæ, ipsam se Ecclesiam venerari demonstrant: quorum Autoritas, est ipsa Ecclesiæ autoritas: quorum sensus & consensus, in articulis fidei, est ipsius Ecclesiæ sensus & consensus. Illi enim è mente Augustissimi Ecclesiæ Doctoris & Patris D. Augustini *Lumina sunt Civitatis DEI*, i. e. Ecclesiæ, contra Julian: Pelag. lib. 1. cap. 2. illi conscripti Reipublicæ Christianæ Patres, fideles Veritatum fidei Custodes, peritissimi earundem Magistri & Assertores, potentissimi hæreticorum mallei,

lei, inviĉtiſſimi caſtrorum DEI propugnatores, validiſſima Domûs DEI firmamenta, adeò ut quidquid honoris & autoritatis à Diſſidentibus heterodoxis tribuitur Orthodoxis SS. Patribus, id totum in Eccleſiam ipſam orthodoxam derivetur.

Alteram verò gaudendi cauſam habet Eccleſia Romana Catholica, quia hac Lectione Patrum, ſenſim falſitate ſuæ Religionis ab illiſmet, velut intento digito demonſtratâ, ad ipſum tandem Veritatis fundum perventuros non eſt ambigendum. Ut de facto conſtat de non paucis doctis & magnis Viris, qui ſectis ſuis, erroribusq́ue remiſſo nuntio, Eccleſiæ Catholicæ Romanæ victas vinctasq́; dedêre manus, ejusdemq́ue caſtris ſunt adſcripti. Cujus rei teſtes ſunt tum antiquiores, Princeps Wolfgangus Wilhelmus Comes Palatinus Rheni, in 12. *Fundam: Eccles: Cathol:* Jodocus Coccius, in Theſauri Catholici Præfat: ad Lect. Vallenburgenſes in ſuis egregiis operibus. Florimundus Ræmundus, de ortu, progreſſu, & ruinis hæreſum. Bernardus Sutholt in *Conjectione Cauſæ, cur ejuratâ hæreſi Calvinianâ fidem Roman. Catholicam ſit amplexus?* Petrus Cudſemius, in *Deſperata Cauſa Calvini*, & cæteri longo ordine; tum recentiores, Schelerus, Frommius, & qui mihi noti ſunt, Joachimus Paſtorius, Joannes Gerhardus Dameler. Præcipuè verò ChriſtianusDreyerus, eximius Doctor Regiomontanus, qui ſanè ex lectione PP. eam ſibi comparavit notitiam totius antiquitatis, ut rarus admodum è Lutherana familia eidem in hac eruditione æquiparari poſſit, quâ adeò plenè imbutum ejus Scripta loquuntur, ut nihil ipſa rei æquitas ab illo requirere videatur, præterquam ſolennem, & in facie orbis Confeſſionem, Romanam Eccleſiam eſſe verè Catholicam & Orthodoxam: Hæc quippe ſola eſt, quæ vivum veræ Chriſti Eccleſiæ à SS. Patribus adumbratum retinet, ſemperq́; retinuit colorem. Quod faxit DEUS, ut faciat quàm primùm cum acceſſione multitudinis credentium, quorum *Cor ſit unum, & anima una* cum Eccleſiâ Romana Catholica.

Illud porro velim ab iis, qui sese huic immenso lectionis SS. Patrum oceano committunt, ut nimirum præoccupatum prætenta suæ opinionis veritate animum nonnihil suspendant, nec se vel ut apertos juratosque hostes Ecclesiæ Romanæ Catholicæ gerant; sed solius veritatis salutisque æternæ fortunatas Insulas præ oculis & in votis habeant. Permittant se eò duci ac promoveri, quò Spiritûs S. aspirante Favonio, quem SS. PP. monumenta spirant, ferentur; sic tandem ad optatum veritatis ac salutis æternæ portum plenis velis securè spondeo perventuros. Quodsi enim hostili contra Ecclesiam Romanam Catholicam, sibi verò blandiente animo, nec solius veritatis indagandæ intuitu, ad eorundem Lectionem sese conferant, facilè eveniet, ut in Caucaso duriores scopulos duræ ac perfrictæ frontis impingant, naufragiumq; patiantur: nimirum SS. PP. Sententiis, verbisque aut mutilatis, aut dissimulatis, aut in alienum sensum detortis, aut supremis solùm digitis attactâ, aut planè non intellectâ eorundem mente, aut denique prorsus rejectis sententiis, tanquam à sua præconceptâ & jam præjudicatâ in proprii Judicii tribunali causâ alienis. Solenne etenim est plerisque à Catholica Ecclesia extorribus, ut jam inimici sint capitales Patribus, ubi ab iis apertè dissentiunt, jam jurati amici, ubi vel minimum illis consentire videntur. De antiquo Macedonio Athanasius Dialogo tertio de SS. Trinitate memoratum reliquit, hanc ejus vocem fuisse: *Nos ita credimus ut B. Lucianus.* Eunomii item hæc verba refert M. Basilius lib. 1. Cont. eundem: *Piâ illa traditione PP. quæ jam inde à Superioribus seculis obtinuit, quasi pro Gnomone, & Regulâ quâdam primo loco propositâ, hoc exacto Examinis instrumento utemur.* Vis iterum impostorem Protheum audire? accipe quomodo contra Sanctam Vetustatem Auditores, & Lectores suos alloquitur: *Petimus inprimis à vobis & qui nunc Auditores, & qui deinceps Lectores futuri estis, ne majori parti potiorem causam attribuentes, verum à falso ex ipsa multitudine discernere velitis; nevè in dignitatem hominum intenti, caliginem menti-*

bus vestris offundi sinatis, aut plura iis qui praecesserunt tribuendo posterioribus aures vestras occludatis.

Quænam verò praxis sit nonnullorum hujus temporis Diffidentium ab Ecclesia Catholica, facilè quivis prudens intelliget, si præsertim nullo partium affectu laborans, eorum pervolvat libros, in quibus ex præjudicio causæ SS. Patres in testimonium advocantur. Videbit profectò quin palpabit manibus, quantis illi affectuum jam pro, jam contra, SS. Patres Symptomatibus agitentur. Hâc malignâ febri correptos Centuriatores Magdeburgenses in triginta duobus locis depravâsse & detorsisse solum Hieronymum; idemq; eodem morbo affectum fecisse Chemnitium in suo Exam. Conc. Trident. notat Cornelius Schultingius Autor Confessionis Hieronymianæ initio operis in Antidotis. Hoc eodem Spiritu actus, actum egit Reiserus, in amplifico, aut veriùs ampullato suo opere, quo Augustam D. Augustini mentem, ad sui proprii capitis cogere præsumpsit angustias. Hoc & Vejelius præstitit in suo Indiculo, non pleno Indice Augustiniano. Hoc & Dorschæus D. Thomam Aquinatem contendens facere Confessorem Lutheranæ fidei. Hoc idem ferrum super eandem incudem, eodemq́ue malleo ut cæteros taceam, haud bonæ fortunæ faber Joan. Fridericus Mayerus cudendum suscepit. Is enim ausu nondum audito D. Joannem Chrysostomum facere Lutheranum, sed casso molimine attentavit; etenim, ut ejusdem intemperantiam animi cavillandi, proscindendi, convitiandi, & sexcentis aliis matæologiæ modis tum Ecclesiam Rom. Catholicam, tum Tridentinos PP. tum Georgium Heidelbergerum nostrum, afficiendi præteream: Omnia planè S. Patris quæ adducit testimonia, sunt partim mutila, partim in alienum sensum detorta, partim aliò non ad rem, quam tractandam suscepit, spectantia; plurima item, quæ contrarium planè loquuntur, de industria transilit, quæ hoc opere hìc paginatim adducuntur. Plures deniq; Controversias in quibus S. Patrem Catholico-Romanis consentire animad-

vertit

vertit, quasi ex proposito prætermisit, ut de SS. Eucharistiæ Sacramenti transsubstantiatione, Sacrificio, adoratione, de libero arbitrio, & cæteris similibus; ut adeò manifestum sit eum ex præjudicio causæ suæ S. Patrem in ejusdem Patrocinium corruptâ mente trahere contendisse: Atq; hoc artificio non auribus Auditoris sui duntaxat dictione, sed & oculis legentium libelli impressione fucum quendam sub specie veritatis, superinducere voluisse. Nemo proinde mihi meritò succenseat, quòd apologiam in defensionem tanti Ecclesiæ Antistitis & Doctoris pro modulo meo instruxerim. Mearum enim præcipuè id esse partium existimabam illius Sancti Patris partes propugnandas suscipere, quem meum in CHRISTO Patrem & Patronum agnosco, illius luce sacrâ in lucem editus, ejusdemque insigni nomine insignitus. Merebatur equidem aureum illud Os auream alicujus Tullii pro domo suâ orationem, aut ipsius Palladis in Palladio suo olim discipulo dicendi scribendivè energiam. Quia tamen, sic volentibus Superis, & Superioribus, in meam exilem, vilemque incidit Svadam, pretium si quod apud Lectorem invenerit, id domestico auro Divi sui Chrysostomi in acceptis referet. Quamobrem hâc meâ exili opellâ Benevole Lector velim fruere, & agnosce, frustra falsitatem triumphare, antequam Veritas in campum descendat: quæ quia *magna est & prævalet*, 3. Esd. 4. semper victoriæ palmam de hoste suo obtinet, ut primùm in lucem prodit: quanquam ut latens lux mediis in tenebris, sic veritas in mediis errorum offuciis, nunquam congenito spoliatur splendore. Spectabis itaq; hic separatam ab auro Scoriam, velamen ablatum, abstersum fucum, abjectam larvam, detractum fascinum, S. Patrem suo nativo redditum colori, vivam veri imaginem referre; verbo dicam D. Chrysostomum esse non Lutheranum, ut falsò confinxit Mayerus, sed verè Catholicum Romanum, ut ejusdem auro digna librorum edisserunt monumenta.

PRO-

PROPHASIS
Ad Jo: Fridericum Mayerum Doct. & Superintendentem Grimmensem.

DUm Anno æræ Christi D.1680. mense Augusto Dantiscanis D. Dominici Nundinis Francofurtense Simonis Beckensteinianum locupletissimum ingredior Bibliopolium, in viva mortuorum, seu vivorum adhuc Bibliotheca, calentem in Libris, ceu posthumis Parentum Liberis liberè experturus spiritum: incurristi tu fortè in manus meas Joann. Friderice Mayere, & primo congressu, tacitè mihi etiam non salutato, in aurem insusurrare videbaris. En Theologe *Chrysostomus Lutheranus*? (qui libelli tui sex phylurarum famosi veriùs, quàm famati titulus est) *Orthodoxæ Veritatis adversùs Decreta Concilii Tridentini Assertor Georgii Heidelbergeri Lojolitæ Chrysostomo Papistæ è diametro oppositus Grimmæ sumptibus Johann. Bilkeni Bibliop. Jenensis. Excudebat Wolfg. Christoph. Kramerus.* A. O. R. M. DC. LXXX. Obstupui! horrorque me haud modicus

Titulus Libri Mayeri.

dicus

dicus incessit, ad eam tacitè tui effrontem, vel in fronte Libelli, loquentis vocem. Ergo extemplò tecum invito licet, & reluctante è Bibliopolio in forum prodeo: eruditorum ac doctissimorum Virorum curiam peto: causam mei Chrysostomi ago: cui non uno obstrictum me sentio titulo; etenim & ejus sacro die hanc lucem primùm aspexi, & venerando ejusdē nomine sacri fontis tinctus aquis, sum insignitus. Diem proinde tibi dico, te æquissimo ipsius Altissimæ Reginæ Sapientiæ throno ac tribunali sisti contendo: horrendi criminis falsi reum manifestè accuso: famosum à te conscriptum Libellum pronuntio: gravissimum magno atque incorrupto, quia aurei oris, Ecclesiæ Doctori falsò impactum crimen, quâ possum contentione vocis proclamo. Chrysostomus Lutheranus! prò Superi! prò Chimæræ affine portentum! attentas arrigite aures, quotquot auditûs sensum nondum perdidistis? audite non me, ac Os illud omnium suffragio verè aureum; Os, à quo Antiochenus æquè ac Constantinopolitanus pendebat populus; Os, quod coronatis Imperatorio diademate capitibus erat terrori; Os denique, quod vel exanime Imperatori Theodosio, populoque universo Pacem impertiit: hoc inquam Os D. Chrysostomi in hæc verba indignabundè prorumpens audite! Egone Chrysostomus Lutheranus? qui de Luthero post mille centum & quod excurrit annos, Islebiæ in Saxonia nascituro, ne quidem somniavi? Egone cum Apostata Luthero, veræ Christi Ecclesiæ remisso nuntio *manum mittens ad aratrum respexi retrò?* Egone cum Luthero detracto ac proculcato vetustæ atque sanctæ Augustinianæ Religionis cucullo & habitu profugus Monachus? Egone cum incomparabili æstimatore sui Luthero, aliorum execrabilis contemptor?

Crimen falsi Divo Chrysostomo affingit Mayerus.

temptor? adeò ut me (taceo enim alios venerandos PP. Hieron. Basilium, Gregor. &c.) me, inquam, totius orbis oraculo, *aureum os* nuncupatum, *loquaculum* insolenti scommate appellet? imò me *nullo à se haberi loco* palam edicere præsumat? (In Colloq. mens. apud Aurifabrum. Egonè cum Luthero cruentum bellum S. Sedi Romanæ, ejusdemque Summo Episcopo, Christi in terris Vicario, Petrique Successori, visibilis Ecclesiæ Dei visibili Capiti nefariè indixi? eamque mihi arroganter inscripsi epigraphen.

Chrysostomus sese à Lutheranismo purgat.

Pestis eram vivens moriens tua mors ero Papa?

Egonè cum Luthero sacra miscui profanis, humana divinis? DEO videlicet dicatis Virginibus, virisque perfractis perruptisvè claustrorum repagulis, à sacra militia, ad profanum seculi otium an sacrilegum negotium? transeundi latissimè fores ac viam aperiendo? Egone cum Luthero Sacerdotibus, ac Monachis, Sanctimonialibusq; sanctum Virginitatis propositum profanis nuptiis violandi contra divina æque ac humana jura, novus ac inauditus fui Legislator, facemque Hymæneo primus accendi, primusque prætuli? Egone cum Luthero, ejusque asseclis protestantibus tot templa Catholicis violenter eripui, tot monasteria insolenter, vastavi, tot sacras domos nefariè dirui, tot Altaria sacrilegè profanavi, tot viris, virginibus, ceterisque utriusque sexûs hominibus violentas injeci manus? Egonè cum Luthero tot errorum, tot schismatum, quotquot in Europa Germaniæ præsertim Galliæ, Angliæ, Belgii, Sueciæ, Daniæ, Ungariæ, Poloniæ terras occupavêre, Coriphæum & antesignanum egi antiquis etiam resuscitatis hæresibus?

Quantorum Lutherus malorum in Ecclesia autor fuit.

Consonat cum his quæ Divus Chrysostomus induci tur loqui id quod legere est in Epistola Respons. Georgii Ducis Saxoniæ data ad Lutherum Anno 1525. 28. Decemb. ubi inter alia hæc habentur.

Affir.

„Affirmare præterea possumus non admodum nobis curæ esse tuum Evangelium, cùm illud à summis Orbis Christiani capitibus reprobatum non ignoremus.

Egonè (a) ad extremum cum Luthero in Ecclesia Christi Catholica, quæ non alia est, quàm Romana, utpote *miraculis (ut cætera taceam* cum magno in eadem Ecclesia Collega & Co-Episcopo August.) (b) *inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata, successione Sacerdotum ab ipsa Sede Petri Apostoli cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit usq; ad præsentem Episcopum stabilita.* Cujus insuper fertilis ager Sangvine Martyrum est irrigatus, doctrinâ Patrum & Episcoporum crevit, sanctitate virorum

„reprobatum non ignoremus. Hoc unum pro virili curavimus ne à nostris susciperetur. Ut „autem hoc curaremus, causam nobis dederunt mali fructus, quos ex eo provenisse constat. „Non enim tu (Luthere) vel quispiam alius, negare potes, quia blasphemiæ in DEum, in Venerabilem Eucharistiam, in Sanctissimam Dei Genitricem, omnesque Sanctos ex tua Do„ctrina, ceu fonte quodam promanârint. Per te enim tuosque discipulos renovantur veteres „hæreses, quas Ecclesia quondam anathemate notavit, honestus Dei cultus omnis ad eum„modum vastatur, ut à Sergii temporibus nihil factum simile constet. Jam verò, quando „plura sunt admissa Sacrilegia, & incestus perpetrati, cum sacris virginibus, quàm ab eo „tempore, quo tuum istud Evangelium innotuit? Quando plures in Senatu auditæ sunt „seditiones, quàm ex Evangelio tuo prodierunt? Quando ad hunc modum spoliatæ sunt æ„des sacræ? Quando furta, rapinæque plures contigerunt? Quando Wittembergæ tot fue„runt excucullati Monachi, & profugæ Moniales, quàm nunc sunt? Quando maritis ad„emptæ sunt Uxores, aliisque traditæ? uti nunc sub Evangelio tuo fieri videmus? Quan„do plura commissa sunt adulteria, quàm ab eo tempore, quo tu consuluisti, ut mulier, si „à viro suo fœcundari nequeat, divertat ad alium, ab eoque susceptam prolem marito edu„candam obtrudat? Utque viro vicissim ad eundem modum agere liceat? Hos nimirum „fructus peperit tuum Evangelium, quod cùm sub scammo delitesceret in lucem protu„listi. Et benè illi quidem hoc nomen indidisti, quòd sub scammo latuerit, atque inde „sit à te productum. Bonum foret profectò si etiamnum sub scammo jaceret. Nam si „quod alterum huic simile producas, nullum certè rusticum sub obedientia retinebimus. „Si tale voluisset Evangelium Christus, non tam frequenter inculcâsset illud, Pax vobis, „Petrus & Paulus etiam non dixissent obediendum esse Magistratui. Igitur hi ipsi fructus „in causa sunt, ut ab Eva gelio doctrinâque tua vehementer abhorreamus. Interim E„vangelio Christi, volente Deo, adhærebimus, eique propugnando, corpus, animam, facul„tates, existimationem, omnia nostra lubentes impendemus; adjuvante nos Dei gratiâ „in qua fiduciam habemus collocatam, &c. Hucusque hic pius Princeps, præterea quæ sequuntur, ad nostrum propositum hæc suffecerint.

(a) Ecclesia Romana verè Catholica.
(b) Tom. 6. in Epist. contra Manich. c. 4.

virorum ac fœminarum adolevit, plurimarum gentium ac populorum conversione cœlesti Divini Numinis favore incrementa per orbem universum sumsit, sumitq; in dies semper majora & majora? Egone inquam cum Luthero in hac S. Christi Ecclesia susque deque universa inaudito ausu molitus sum evertere? Absit id longè à me! Absit id quod tu Mayere mihi citra fas & veritatem affingis, me non Orthodoxæ & antiquæ veritatis sed tuæ heterodoxæ profanæ novitatis adversùs Tridentini Concilii decreta assertorem esse! Ego Chrysostomus, me non Lutheranum at Catholico-Romanum semper fuisse, esse, ac fore in perpetuum, quàm vero, tam libero ore, tamque bonâ fide palam profiteor.

Chrysostomus Romano-Catholicus non Lutheranus.

En Mayere S. Patrem meum Chrysostomum, aureo suo ore, gravissimo sermone, fronte, ac toto vultu ad indignationem contra te iniquum sui criminatorem composito, talia vel etiam plura auribus tuis verba intonantem? Quo quæso hæc animo? quâve aure percipis? Ergo siste te ejusdem Sacrosancto tribunali? Scrutabor tecum libros, evolvam Tomos? hi è tuis ipsius à te allegatis documentis contra te sententiam ferent. Evolvam, inquam, Tomos, quos Antverpianus Typus apud Viduam, & Hæredes Petri Billeri Anno 1614. in publicam lucem edidit, qui cum Parisiana editione Sebastiani Nivellii, quâ tu usus es, conveniunt, præterquam quòd Tomo VI. auctior facta sit hæc Editio.

Antequam verò id præstare aggrediar, titulum libelli tui famosi unà cum præfatione prout cœpi, porrò obiter saltem ventilem est necesse.

Frontem te prorsus amisisse, non unus dixerit? qui in fronte libri tuum nomen præponens *Jo. Friderici Mayeri,*

D. Chrysostomum Lutheranum facis? Quid sibi vult Chrysostomus Lutheranus? sensusne est Chrysostomum Lutheranam amplecti sententiam? at hoc jam supra palam ab ipso Divo refutatum audivimus, audiemusque pluribus infrà. An veriùs Lutherani, Chrysostomi doctrinam sequuntur? At nec hoc ita se habere manifestè ex dicendis in contextu operis patebit. Et verò quâ fide Mayere Chrysostomum fidei Lutheranæ arbitrum & assertorem facis? cui utique sola S. Scriptura est norma, regula, judexque credendorum? Ergòne censum regulæ fidei etiam Chrysostomus ingreditur? At verò nonne Lutherus eum *nullo loco habendum, loquaculum* solùm, & non solidum fidei suæ assertorem palam asseruit in Colloqu. sup. cit.? qui insuper de toto SS. PP. venerando Senatu, illud omnibus suis sanctè servandum reliquit. *SS. Patrum autoritas susq; deq; facienda est.* Lib. de Servo arbit. Nec Hieronymo eruditissimo Ecclesiæ Doctori pepercit, quem aliàs Augustinus *ingenium divino dono aureum* jure appellat Epist. 9. Quid verò Lutherus? Annon verè impia & detestanda voce inquit? *Impia & detestanda vox est Hieronymi, quin te Hieronyme conculcamus unà cum Bethleem, cucullo, & deserto* in Comment. in cap. 22. Gene: Impress. Norimb. Anno 1550. Eodem honore habet & Gregorium, de quo unà & Hieronymo. *Loquuntur*, ait, *uterq; mendacium in hypocrisi, quando dicunt, quòd amore castitatis conjugium detestentur* in Enarr. sup. 9. Psalm. Gradualem Tomo 4. Jenen: paulò post subdit. *Quem* (Jovinianum Hæresiarcham) *apparet plùs eruditionis & judicii habuisse in uno digito, quàm Hieron. in toto corpore.* Præterea ea quæ contra Erasmum de Servo arbitrio scribens. Item lib. advers. Regem Angliæ.

Lutherꝰ SS. PP. nihili habet.

Item

Item apud Aurifabrum in Colloq. Menſ. impudente planè ore contra SS. illos PP. & Doctores Eccleſiæ effutit ſup. in Præfatione ad Lectorem citata. Is honor Hieronymo, is Gregorio, is Chryſoſtomo, ceteriſque SS. PP. tributus eſt à Luthero: Quâ tu igitur Mayere fronte Chryſoſtomum Lutheranum facis, cùm ipſe Parens tuus Lutherus noluerit eſſe Chryſoſtomianus, nec cum Chryſoſtomo ceteriſque Eccleſiæ Patribus, ut ita dicam, Patriſare voluerit.

Chryſoſtomum deinde ais *Orthodoxæ Veritatis Aſſertorem* nihil veriùs, at *adverſus decreta Concilii Tridentini*, nihil falſiùs: *Orthodoxæ* inquis *veritatis?* cujus? *Lutheranæ*: at quo argumento probas eam Orthodoxam? Nonne & Calvino-reformati orthodoxos ſeſe nuncupant? nonne & Sociniani idem Orthodoxi nomen ſuum eſſe volunt? Nonne & Anabaptiſtæ, ſeu Mennoniſtæ, Quakeri, & ſi qui tandem alii ſunt ſub Evangelico nomine Confeſſioniſtæ & Sectarii, ſuum vendicant? Unde igitur tu Mayere evidenter & apodicticè deduces tibi, ſeu Lutheranæ tuæ Sectæ ſoli potiori præ omnibus jure convenire? Ex Scriptura S. inquis, id luculenter probari, tanquam unicâ fidei regulâ & judice: at eandem pro ſua norma & regula, judiceque ceteri habentes, argumenta eadem vel ſimilia pro ſe adducunt. Quo igitur argumento tu evinces & hanc regulam ac judicem, & argumenta ex illa deſumta tibi ſoli de jure & non ceteris ſervire? Hic te nodo gordio conſtrictum agnoſce, ita ut nunquam te ex illo expedire queas? Orthodoxa veritate tuas inſipidas fallacias condis, nimirum rectè D. Hieronymus epiſt. 7. cap. 4. *Venena non dantur, niſi melle circumlita, & vitia non decipiunt niſi ſub ſpecie, umbraq; virtutum.*

Lutherana fides haud eſt Orthodoxa.

Aliæ Sectæ etiam ſe orthodoxas faciunt ex eodem principio.

Porrò

Porro quid obſecro per orthodoxam veritatem intelligis? Legiſſes præclaram orationem deOrthodoxia Anno 1675. editam Chriſtiani Dreyeri Regiomontani Doct. Viri quâ eruditione & ſcientiâ præſertim antiquitatis PP.queᷓ monumentorum, quâ pacificâ animi compoſitione interLutheranos(quanquam rigidiLutherani ejus tanquam Syncretiſtæ commercium immeritò refugiunt) facilè primi: intellexiſſes ex illo an Lutherana fides ſit orthodoxa? Pervolviſſes antiquioremOrthodoxum DoctoremAuguſtinumDe veraR elig.c.7.&c. De util.cred. c.7. Serm. 131. de Temp. &c.Item Vincentium Lirinenſem ſub nomine peregrini contra hæreſes; Optatum Milevitanum contraParmenionem; Pacianum Epiſt.ad Sempron.didiciſſes, quid ſit Orthodoxum ex eo, quid ſit Catholicum, quia hæc ad convertentiam vera omninò ſunt; Omne videlicet Orthodoxum eſt Catholicum, & omne Catholicum eſt Orthodoxum: Hocq; ſolo differunt, quòd Orthodoxum vi vocis ἀπὸ τῆς ὀρθῆς δοχῆς rectam ſeu bonam opinionem & gloriam ſignificet; Catholicum autem inſuper ἀπὸ τοῦ καθ' ὅλου univerſalitatem includat, ita ut unum ſit explicatio, & nota, atq; character alterius: etenim quod aliquid ſitOrthodoxum colligas ex eo, ſi nimirum eſt Catholicum, ſi autem non eſt Catholicum, nec poteſt ullo modo eſſe Orthodoxum. Audiamus inpr. D. Auguſtinum nomen Catholicum explicantem tum alias, tum Libro 2. contra Gaudent. *Hinc enim ait, & græco Vocabulo Catholica nominatur; quòd enim græcè ὅλον dicitur Latinè totum, vel univerſum interpretatur. Per totum orbem, ſive ſecundùm totum, eſt καθ' ὅλον unde Catholica nuncupatur.* Jam autem Vincentius

Quid ſit Orthodoxum & Catholicum.

centius Lirinensis sic definit Catholicum cap. 3. *In ipsa item Catholica Ecclesia magnoperè curandum est, ut id teneamus quod ubiq́ue, quod semper, quod ab omnibus creditum est, hoc est enim verè propriéq́ue Catholicum, quod ipsa vis nominis ratioq́ue declarat, quæ omnia universaliter comprehendit, sed hoc ita demum fit, si sequamur universalitatem, antiquitatem, consensionem; sequemur autem universalitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem verò ita, si ab his nullatenus recedamus, quos SS. Majores ac Patres nostros celebrâsse manifestum est. Consensionem itidem quoq́ue si in ipsa vetustate omnium, vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones, sententiasq́ue sectemur.* Et infra cap. 4. *Quod si novella aliqua contagio non jam particulam tantùm, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur, tunc item providebit ut antiquitati inhæreat, quæ prorsus jam non potest ab ulla novitatis fraude seduci.* Lege quæ sequuntur apud eundem, & disce quid sit Orthodoxum? quid Catholicum? plumasq́ue alienas ementita cornicula Mayere depone, nec tuum depravatum sensum & doctrinam Orthodoxam veritatem arroganter vocita, nec petulanter jactita: Neq; enim unquam demonstrare potes, quòd id teneas, *quod ubiq́ue, quod semper, quod ab omnibus est creditum.* *Neq́ue universalitatem, antiquitatem, consensionem sequeris. Non universalitatem* neq; enim eam *fidem* fateris *quam tota per orbem universum confitetur Ecclesia*, neq; *antiquitatem*, quia quis dubitet te *ab his sensibus omnimodè recedere, quos Sanctos nostros Majores celebrâsse manifestum est.* Nec *deniq́ue consensionem*: Neq; enim *in ipsa vetustate omnium, vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones sententiasq́ue sectaris.*

Luthera-na fides haud Ca-tholica.

ris. Sed potiùs id planè solum, quod toto Cœlo repugnat hisce amplecteris. Quæ enim tuæ doctrinæ *universalitas*, quæ hinc inde in una vel altera terræ parte docetur, & nusquam ad Indos, Sinas, Japonas, Brasilos, Paraquarios, ceterasq; Ethnicas Gentes prædicando pervenit. At pervenisse contendes per Hollandos & Anglos: ita sanè per Hollandos mercatores, non Prædicatores: piscatores margaritarum & mercium, non Animarum. At quis vestrum vel unus Prædicantum eò peragravit, aut peragrat, hoc unico animo, ut animas DEO & Cœlo, Apostolicâ doctrinâ, vitâ, morte deniq; ac sanguine lucretur? Nimirum, rectè de vobis ait Tertull: de Præscript. cap. 46. *Hoc negotium est illis non Ethnicos convertendi, sed nostros evertendi. Hæreses* enim ut idem ait ib. cap. 2. *ad languorem & interitum fidei productas esse*, non ad ædificationem Ecclesiæ & Animarum ipsâ experientiâ discimus. Quæ verò *Antiquitas?* quæ autore Apostata à Romana Catholica Ecclesia Luthero Anno 1517. Wittenbergæ primùm emersit. Anno deinde 1530. Confessione August. propagata incrementum sumsit, at cum ipsis incrementis decrescere cœpit, quod tum alii, tum Florim. Ræm. egregiè demonstrat. Quæ denique *Consensio?* num *in ipsa vetustate omnium, vel certè penè omnium Sacerdotum pariter ac Magistrorum definitiones sententiæq; id loquuntur?* cùm orbis universus spectet, plùs quàm vertiginis spiritu agitari, atque in gyrum agi Lutheranæ Sectæ ingenia in tot Academiis & Scholis Helmstadiensi, Wittenbergensi, Lipsiensi, Regiomontanâ &c. An igitur adhuc Mayere tuas fallacias Orthodoxæ veritatis paludamento teges?

Assertorem deinde vocas *Chrysostomum adversùs De-*

creta Concilii Tridentini, tuæ scilicet veritatis Orthodoxæ, falsitatis veriùs heterodoxæ. At nihil minùs quàm Concilii Tridentini Decretis repugnare, sanctum hunc Doctorem manifestè hic declaro.

Dicis deniq́ue in titulo Libri Chrysostomum tuum, *Georgii Heidelbergeri Lojolitæ Chrysost. Papistæ è diametro oppositum.* Lojolitam per contemptum vocas Heidelbergerum: at noveris Mayere, quòd & ipse, & ego hoc nomen quod (absit verbo jactantia) cœlo & Superis gratum, quod tot meritis in Ecclesiam Dei gloriosum, quod bonis omnibus acceptum, etsi tibi tuiq́ue similibus invisum, filiali quâ par est observantiâ veneramur, amamus, amplectimur. Eundem *Chrysostomo Papistam* facis. Magnum vel hoc uno nomine animi tui, tuiq; similium vitium detegis, qui eos Papistas vocas, quibus nec temporum injuria, nec livor hominum, nec ferrum & enses hostium nomen verè Catholici elimare aut eliminare potuêre. Traxisti fortè hoc vitium hæreditario morbo ab antiquioribus hæreticis, qui olim Romanæ Ecclesiæ nomen Catholicæ invidebant, eamq́ue à Pontificibus agnominabant. Sic mille quadringentis & ultra abhinc annis Romani vereq́ue Catholici à Novatianis appellabantur Corneliani, teste S. Eulogio Alexandrino Archiep. in Lib. contra Novatum, quia scil. S. Cornelio Papæ ut supremo Ecclesiæ Capiti adhærebant. Nomen tamen hoc Papistæ primùm à Luthero ejusq́ue asseclis Ecclesiæ Catholicæ attributum, nec illud unquam aut ipsa Ecclesia usurpavit, aut eidem quisquam antehac hæreticorum attribuit, ut vel indè colligas novum nomen à novis Nomenclatoribus, odio antiquæ Ecclesiæ confictum. Interim nec hoc nomen Papistarum nos afficit, quo nimirum indigitamur paternæ at-

Nomen Lojolitæ haud contemnendũ.

Hæretici nomen Catholicæ, Ecclesiæ Romanæ invidebant.

Nomen Papistæ à novis Hæreticis recens confictum.

que avitæ religionis hæredes, nec item acephalum nos esse, aut truncum corpus, nec balantem sine pastore gregem, sed filios Patri, corpus Capiti, oves Pastori, quem Christus Dominus sui Vicarium instituit, rationabili pulchroq; nexu & ordine cohærere. Etenim ut ait Cyprian. Ep 40. *Deus unus est, Christus unus, & una Ecclesia, & cathedra una super Petrum Domini voce fundata, aliud altare constitui, aliud Sacerdotium novum fieri præter unum Altare & Sacerdotium non potest.* Hæc porrò Papistarum &c. ab hostibus inventa sunt nomina, qui molestè ferunt se ab autoribus suis denominari; proprium verò nobis & præscriptum tot seculis est Catholicum nomen. *Ecclesia una est Catholica, cui hæreses alia diversa nomina imponunt, cùm ipsæ singulæ, propriis vocabulis, quæ negare non audeant appellentur.* August. cap. 7. de util. cred. Denique cùm Papistas nominas, vel hoc nomine Catholicos, & Apostolicos indigitas; Etenim Catholica & Apostolica Ecclesia illa est, cujus fides semper, ubique ab omnibus, ut sup. ex Vincen. Lirin. vidimus prædicatur. Atqui sola talis est Papistica à Diffidentibus dicta. Ergo hæc sola est Catholica. Hoc ipsum, quòd fides non alia quàm à Sede Romana Romanisque Pontificibus propagata per orbem universum prædicatur, habeatque perpetuam inter Gentes Successionem doctrinæ suæ, evidens est argumentum Ecclesiam Catholicam non aliam esse, quàm quæ per contemtum Papistica dicitur ab Adversariis. Ipsa insuper hæc agnomina, à quibus Dissidentes sua propria agnomina derivant, manifestè loquuntur eos haud Catholicam Ecclesiam habere, cùm contra ii qui ab his qui præsunt Ecclesiæ eamque gubernant, nuncupantur, rectè Catholici sint dicendi. Id quod eloquentissimus noster Doctor

Haud est probrosum Catholicis.

Ecclesiæ Romanæ est proprium ac præscriptum nomen Catholicum.

Hæretici suarum Sectarum agnomina à suis Ducibus trahũt.

agno-

agnoscit tom. 3. hom. 23. in Act. Apost. *Num hæresiarchas habemus? num ab hominibus cognomen habemus? nunquid nobis dux quidam est? sicut illi Marcion, & illi Manichæus, huic Arius, alteri verò alius hæreseos dux? Quodsi & nos agnominationem cujusdam sortimur, sed non ut ab hæresium Principibus, sed ut ab his qui præsunt nobis & gubernant Ecclesiam.* Cùm igitur Lutherani à Luthero, Calviniani à Calvino, & sic de ceteris tanquam suæ Sectæ ducibus agnomina habeant, quis hos Catholicos? Contra etsi *nos agnominationem* (Papistarum à Papa) *sortimur*, nihil officit, quin verè Catholici dicendi simus, quia non ut *ab hæresium Principibus*, sed *ut ab his qui præsunt nobis, & gubernant Ecclesiam.*

Et hæc satis sint, quoad titulum Libri: Sequitur Dedicatio. Quænam tibi cum Georgio Heidelbergero ut ipse loqueris, *liticula* intercedat; insinuâsti equidem initio Dedicationis scil. *de Apostolis maritis*, hanc tecum hic & nunc haud ingredior. Credo causam illibatæ in cœlibatu vitæ Apostolorum, eorumque Successorum Sacerdotum egisse Heidelbergerum contra te maritum, at non Apostolum, Apostolatum tamen cum conjugio maritare frustra conantem. Tu interim conficto fabuloso sermone ad Poetarum somnia conversus, inducis eum tecum in somno loquentem, *ad vaticana limina*, te tanquam *criminis reum* deducentem, accusantemvè; D. verò Chrysost. aureo ore, auream utriq; pacem impartientem, quæ utinam in te requievisset, at non reperit filium pacis, filium Bar-Jona, filium Columbæ. *Libros* insuper *suos, qui sententiam ferrent, scrutari* mandantem. Interim ut tuæ leviusculæ Poëticæ fabulæ aliquod pondus adderes ex Baronio, quem palmari convitio *fabularum promum con-*

Mayerus somnia adducit.

dum facis, Historiam de D. Chrysost. post obitum suum, populo ad supplices Theodosii literas *Pax vobis* dicente, fusè adfers. Idque aliis etiam exemplis comprobare, studiosè laboras, aculeato scommate, *superstitiosæ simplicitatis Papistis* afflicto, & infixo. Crede mihi Mayere exemplo tuo

Possem non unam somni confingere formam,
At res vera mihi, somnia linquo tibi?

Et insuper cum Ecclesiaste assero: *Ubi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates & sermones innumeri.* Eccles. 5. 6. Id quod in te verificatum animadverto.

Mayero suadetur nec insomnis nec somno sepulta vita.

Nec verò miror talia tibi è tuomet cerebro nata contigisse somnia; Nimirum *amantes* ipsi *sibi somnia fingunt*: quod perditè amâsti, hoc fucatè somniâsti; Vellem, tamen te bono tuo, nec insomnem, nec somno profundè sepultam vitam degere, utrumque enim periculosum, quin utrumque perniciosum: Illud enim apertis oculis cœcam vel invitè invitat mortem; hoc clausis in struentem insidias ex improviso incurrit. Quamobrem meo consilio, oculos, quos ad deformem, quia ementitam falsitatis speciem inconsultè aperis, claude: aperi, quos ad pulchram, quia simplicem synceramque veritatis imaginem pertinaciter claudis. Verbo: *Surge qui dormis, & exsurge, & illuminabit te Christus.* Ephes. 5. 14. Illuminabit inquam, per illum ipsum, qui *in* tot illustrissimis *splendoribus Sanctorum* primæ magnitudinis est sidus, aureus Ecclesiæ Christi Doctor, Magnus Constantinopolitanæ Cathedræ Antistes, gloriosus inter tot persecutionum Martyria Confessor, meus dico D. Joannes Chrysostomus, cui tu quidem tenebras offundere, ut temerario ita casso molimine, attentâsti; eundemque tuis mortuis umbris deformatum,

non

non propriis, ac vivis coloribus adumbratum toti mundo proponere præsumsisti: Nimirum in somno hæc à te acta sunt, in quo ut moris est, fictæ & evanescentes tibi umbræ, non verò solida veri imago comparuêre. At vide quo pacto hic veridicus Doctor umbratiles has tuas tenebras illustrissimo veritatis splendore discutiat atque dispellat? Specta quomodo hoc ut aureum ita igneum Os scoriam tuarum pseudologiarum à probato orthodoxiæ auro manifestè separet, secernat, & rejiciat? Chrysostomum appellâsti Judicem, ad Chrysostomum mecum ibis? Scrutare ejus Libros, *qui* (ut tu ipse è mente S. Patris ais) *sententiam ferent.* Scrutare, inquam, non ut tu fecisti fraudulenter ac dolo, qui utique nulli de jure communi, adeóq; nec tibi in particulari patrocinari debet, sed fideliter, & veritatis solius indagandæ intuitu, non noxio falsitatis defendendæ pruritu.

Mayerus ad fideliter scrutandos Libros D. Chrysostomi invitatur.

Cùm verò tu Libellum tuum omnibus Ecclesiarum ad Diœcesin Grimmensem spectantibus Ministris longo eorum nominibus & cognominibus recensitis Catalogo inscripseris, & ego tibi & illis meum hunc, ad Orthodoxæ fidei in Ecclesia Catholica Romana perfectam agnitionem, conscriptum & inscriptum velim.

Venio jam ad exordium tui libelli, ut sæpius tibi id quod in rei veritate sese ita habet, oggeram, famosi: quod vel ipsæ tuæ, quas tum in præfatione tum toto libello plenis plaustris effundis, dicacitates, sugillationes, cavilli, scommata, convitia, calumniæ, pseudologiæ, verè loquuntur, quibus plùs quàm canino dente mordaciter, tum universim Ecclesiam Romanam, ejusq; Concilium Tridentinum, tum sigillatim ejusdem assertores ac defensores arrodis. Possem haud obscurè, nî brevis esse vellem,

Mayerus canino dẽte Ecclesiã Romanam arrodit.

lem, sat longum caninorum tuorum morsuum catalogum recensere. Omnem hoc in passu pudorem exuisti; nec te hac in re pudet esse impudentem. Nihil enim tibi novi Baronium tantæ eruditionis, tantæ probitatis virum, *fabularum promum condum* facere, dignus certè ipse, qui vel ob hanc contumeliam fabula orbis eruditi efficiâre. Non erubescis simpliciter *superstitiosam simplicitatem Papistis*, id est Catholicis vel hoc nomine affingere. Gloriosum scilicet bellatorem te ostentas dum non vis *desinere Domini bella gerere* (quasi verò Domini bella non imbella gerantur, dum lux tenebris offunditur, feritas falsitate ostenditur, non defenditur) *contra eos, qui sub venerando nomine Salvatoris nostri virus suum & malitiã occultant*. O virulentam calumniam! O apertam malitiã omni malo pejorem! Non vereris Heidelbergerum *insulsum & prodigiosè mendacem nugatorem appellare*: Ecclesiæ quoq; Catholicæ filios *Chami progeniem sceleratos filios* audes proclamare:

Baronium facit fabularum promum condum.

Superstitiosam simplicitatem Papistis hoc est Catholicis affingit.

Heidelbergerum prodigiosè nugatorem mendacemque appellat.

Intolerandâ præsumtione Concilium Tridentinum *Conciliabulum* per contemtum vocitas, Concilium inquã illud, quod sub tribus Summis Pontificibus, tot lustris annorum, tanta deliberatione, tantâ negotiorum fidei trutinâ, tantâ ex universo Christiano Orbe collectorum hominum frequentiâ, tantâ insuper, tamq; mirabili diversarum gentium, linguâ, moribus, complexione, habitu; animorum tamen atq; sententiarum consensione, celebratum. In præsentia tot Oratorum Imperatoris Christiani, Regum, Regnorumq; atq; Rerum publicarum Hispaniarum, Galliæ, Poloniæ, Ungariæ, ceterarumq; ablegatorum, tot Principum Virorum, Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Theologorum, Religiosorum, quorum pleriq; imò pœnè omnes

Concilium Tridentin. per contẽptum Conciliabulum facit.

mnes ceris Majorum illustres, dignitate graves, pietate conspicui, doctrina & eruditione eximii, omni acceptione digni, omni exceptione majores, quibus nec sexcenti licèt Doctores Saxonici, qualis tu Mayere, comparandi. Hoccine pleno certè ore nuncupandum Concilium, per diminutionem, per contemtum haud ulli ingenuæ menti tolerandum, vocitas Conciliabulum! Næ tu Mayere egregiè desipis! qui tantum contra universum Orbis Christiani Concilium tibi sapere videris.

Taceo reliquos tuos caninos morsus quibus Catholicos & Heidelbergerum, quem in signum & metam in quam tua tela dirigeres statuisti, virulenter arrodis. An canicularibus diebus hic liber à te conscriptus? A morsibus venio ad tuos Latratus, quibus inprimis inficiaris nos Catholicos rectè gloriari, quòd simus *Patrum veri filii*, hicq; nos potiùs scelerato Chami animo & ore vocas *Chami progeniem*, putasq; nobis hanc gloriationem eripuisse inter alios, *Bebelium*, *Pappum*, *Vegelium*, *&* *Reiserum*: verùm ab his reti ventos solùm venatos, aquam cribro haustam, telas aranearum contextas, cùm ab aliis luculenter præsertim, Hieron: Torrense in Confessione Augustiniana, Jacobo Masenio, in Augustino Controversiarum arbitro, recentissimè ab Eustachio de Rosario in Augustino Romano Cathol. fidei Confessore ac Defensore 1675. August. Vindel: edito, tum à nobis Augustinus non Augustanus (si DEO cordi fuerit) palam orbi faciet. Et quidem quod Vejelium attinet res in confesso est Indicem illum ejus indiculum potiùs docendum esse tam mancum, tam mutilum, atq; à scopo & puncto Statûs controversiæ longè plerumq; aberrantem, ut mirum sit te adeò de illo gloriari tanquam Argivum clypeum nobis

Frustra Mayerus Catholicos Patrum filios inficiatur.

Vejelii Index Augustini mancus.

Reiseri opus ampullatum magis quàm amplificũ.

bis abstulerit. Sed & Reiseri etsi amplificum magis quàm Vejelii, ampullatum veriùs dicere debueram opus, bullatâ turgescit paginâ; verbis & sententiis à vero & genuino Augustiniano ad proprium ac hæreticum augustanum, aut veriùs angustum, unius hominis sensum detortis. Pappus deniq; & Bebelius uterq; homo hodiernus, venustam venerandamque primitivæ Ecclesiæ, quamvis vetustam faciem ita cerussa fucosisque coloribus illinit, ut eam vix quisquam nisi ejusdem veri ac vivi coloris benè peritus & amans dignoscat atque discernat.

Pappus & Bebelius vetustam, venustam tamen Ecclesiæ faciem deformavêre.

Alterum est quod tuo haud arridet palato, nempe *tantam esse æstimationem Concilii Tridentini apud Catholicos, ut non censeatur is syncerè Catholicus, qui non cum eodem sentit.* Et hanc quidem *vanam persvasionem, lubricum fidei Papisticæ fundamentum*, non sine elatæ vocis exclamatione inficiaris, idque ea de causa, *quòd* (verba tua sunt) *Augustinus Barbosa coactus sit* (quo quæso cogente? ita vel uno verbo effrenis dicacitas, cordata pectora intimè novit pungere.) *varias interpretum expositiones & declarationes ejusce Concilii colligere*: & quid hoc mali? quid à re alieni? nunquid ideò Concilium reprobandum, quòd ejusdem expositiones & declarationes interpretum colliguntur? Ergone sacræ literæ rejiciendæ, quia variæ interpretum expositiones & declarationes earundem ab Autoribus adducuntur? Ergone Concilium Nicenum & reliqua Oecumenica repudianda, quia similes illorum declarationes & expositiones doctorum Virorum adferuntur? Et *Papa*, ais, *Pius IV. peculiarem Congregationem pro executione & interpretatione ejus, erigere, & Sixtus V. tanquam rem summè necessariam conservare necesse habuit.* Quid hoc rationi & recto rerum ordini haud consentaneum? Hoccine tibi

Expositiones & declarationes Concil. Trid. haud obsunt.

Nec executio ejusdem à Papa Pio IV. erecta à Sixto V. conservata officit.

tibi est, *ex oculis lutum & sputum abstergere*? Nemo certè finem boni operis consecutus benè absque executione. Coronis operis tunc verè coronanda, quando eleganti nexu executio conservationi jungitur. Nervus & anima rerum, ut gerundarum, ita gubernandarum est, quod statuisti bene, æquè benè exequi, optimè conservare. Ratio status in omni re ea optima, cùm quod statutum exequeris, quod executum conservaveris, conservatum sic tandem è sententia suum tenebit statum. Nulla res in suo firmiter consistit gradu, quæ & executionis, & conservationis caret officio. Vacillant communiter Respublicæ, Regna, Imperia atque adeò Respublica Christiana, nî in eo conserventur statu, quem ad legis Divinæ normam, legibus humanis à Majoribus circumscriptam, accepêre. Quidquid proinde Pius IV. pro executione Concilii Tridentini, quidquid Sixtus V. pro conservatione ejusdem constituit, id omne haud luteum, at stabile est firmamentum, quo Ecclesia Christi supra inconcussam Petri petram fundata fulcitur & solidatur; *ne adversùs eam portæ prævaleant inferorum.*

Sed quid ego tuis Mayere latratibus inhæreo? quid tuis morsibus multis immoror? nimirum vel hac certa ac infallibili nota & charactere cujus naturæ sis manifestè declaras. (*Canis* inquit D. Chrysost. Tom. 2. in cap. 7. Matth. hom. 17. m. f. 355. te vivis describens coloribus.) *naturale est improbum esse, nunquam vocem mittere propter aliquam alteram causam, sicut cetera animalia, nisi ad abigendos supervenientes, interdum autem & de superfluo in aërem latrat. Tales sunt omnes Gentiles, vel hæretici, inapprobabiles, latrantes plurimùm adversus servos Dei, latrantes aliquando, & adversus Deum blasphemiis, ululantes apertè &* Hæreticorum idem quod canis improbum vitium est allatrare alios etiam innocentes Dei servos.

nunquam os suum aperientes ad bonum, sed semper ad malum. Quod si autem alicubi in hocce meo opusculo acriore contra te usus sum verbo vel sententiâ, ne mirêre; canina morsûs atque latratûs facundia, si solâ palmâ repellatur, palmam reportat; fuste aut lapide optimè retunditur, sic tandem ei integra manet vindicta, sævire in lapidem. Nec verò mihi hac in re seu tu seu quiscunque alius succenseat aut calumniæ & convitii crimen objiciat; ab hoc enim me luculenter absolvunt vel tuæ fidei homines in *Responsis duarum inclytarum facultatum Juridicarum* (hic est titulus libelli) *& unius Primarii Jurisconsulti de Programmate Laurentii Laurentini*, in quibus in simili ab omni convitii crimine liberatur dictus Laurentinus, quòd is programma vindicandæ famæ ac innocentiæ D. Georgii Calixti & Joachimi Hildebrandi, maledico ac injurioso D. Abrahami Calovii programmati opposuit, impressis Helmstadiæ Anno 1678. Et sanè quid mirêre, si innocenter provocatus, interdum insolenti & calumnioso provocatori in faciem ejus ipsiusmet ferrum reverberet ac retundat: Sibi suæque insolenti temeritati imputet, si quando insperatum nec exoptatum à suomet gladio vulneris referat talionem. Repressalia haud reprimenda, aut reprehendenda sunt, dum quis suamet manu, quâ vim alteri inferebat, opprimitur. Defendentis hìc ago partes contra tui Mayere oppugnantis arma, quibus exarmatus, æqui bonique consule, si adversus te ipsum militent. Contra semetipsum propria justaque hosti subministrat arma is, qui injusto bello aggreditur innocentem. Mitiùs tamen tecum hìc actum fateâre ab eo, qui à Doctore Gentium edoctus, novit non *vinci à malo, sed in bono vincere malum. Roman.* 12, 21.

Ac

At verò tempus est, ut in ipsum descendamus campum, veniamusque tandem ad ipsas Controversias, quas tu in opusculo tuo nullo servato ordine, nullo item Controversiæ statu præsupposito adducis.

Ego contra tuam perturbatam ordinis phalangem, ex invictissimo D. mei Archistrategi Chrysostomi armamentario disponam Castrorum aciem ordinatam: Ordine per Titulos Controversiarum digesto, quæ interdum in Paragraphos distinguentur.

CONTROVERSIA I.

De Lectione Scripturæ Sacræ.

HAnc ait Mayerus, non omnibus passim permittendam esse docere Tridentinum Concilium Reg. IV. de lib. prohib. quæ ita habet: *Cùm experimento manifestum sit, si S. Biblia vulgari linguâ passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem* (hæc verba *ob hominum temeritatem* à Mayero sunt omissa) *detrimenti, quàm utilitatis oriri:* addit deinde, *decrevimus ne omnibus illorum lectio permittatur.* Hæc verba verò in contextu haud leguntur; Sed potiùs hæc, *hac in parte judicio Episcopi aut Inquisitoris stetur, ut cum Consilio Parochi aut Confessarii Bibliorum à Catholicis autoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei atq; pietatis argumentum capere posse, quam facultatem in scriptis habeant.* Hæc sunt genuina verba hujus Regulæ. Duplex igitur crimen falsi commisit Mayerus in allegatione unius textûs; primò omissione eorum, quæ sunt quasi essentialia hujus

Mayerus Concilium Tridentin. de Lectione S. Script. haud fideliter citat.

hujus Regulæ, id est causarum prohibitionis, quarum prima est *ob temeritatem hominum*, quâ scilicet quisque posset temerè scripturam pro suo placito, & ad suos privatos sensus, non conformes Ecclesiæ, detorquere, explicare. Secunda propter quam aliquibus lectio conceditur *Judicio Episcopi &c.* aut *Consilio Parochi, vel Confessarii*, nimirum si *intelligatur hujusmodi lectione non damnum, sed fidei atq; pietatis argumentum capi posse.* Commisit deinde alterum crimen falsi additione aliquorum verborum è suo nimirum cerebro. *Decrevimus ne illorum lectio omnibus permittatur*: quæ verba non leguntur in contextu.

Lectio S. Scripturæ in vernacula à Concil. Tridentin. passim omnibus prohibita immeritò reprehenditur.

Jam verò perpendat quisque cordatus, quid mali in se contineat hæc regula? Annon magis providè procedit Concil. Trident. prohibendo ne passim ab omnibus in vulgari lingva Scriptura & edatur, & legatur, quàm dissidentes concedendo omnibus promiscuè ejus editionem & lectionem? Siquidem illâ prohibitione præsuppositâ, omnes adstringuntur, *ad idem sentiendum in Domino, nec plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem ut* Apost. monet, Rom. 12. 3. Neque enim facilè stante hac prohibitione diversæ ex illa erui possunt opiniones, & *perniciosa nimis dogmata, perregrinaq; doctrinæ*; E contra quantæ dissensiones, discordiæ, schismata, rixæ, inter adversarios ex dicta permissione ortæ sint, atque circa unum etiam Scripturæ locum adhuc oriantur, nemo non videt? Quin hâc semel apertâ, quâ data porta ruunt, & semper ruent in deterius novæ & novæ Sectæ, libertatem Scripturam legendi, quam & per se claram, & unicam regulam, atque Judicem simul fidei sibi persvadent, velut pro scuto suorum falsorum dogmatum prætendentes.

Cardo itaque Controversiæ hujus in eo vertitur.

Ecclesia Catholica Romana non absolutè & simpliciter prohibet Sacræ Scripturæ impressionem & lectionem, sed præcipuè *in vulgari lingua.* 2. *Passim.* 3. *Sine discrimine.* Idque 4. dat causam, *quòd propter hominum temeritatem plus inde oritur detrimenti quàm utilitatis.* Idque insuper 5. *Si cui concedenda sit lectio, standum esse hac in parte judicio Episcopi, aut Parochi, aut Confessarii consilio.* Idque tandem 6. *Pro iis quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei atq; pietatis argumentum capere posse.*

Status Controversiæ circa Lectionem S. Scripturæ.

Hic obiter Lectori perpendendum est, talem à Concilio Trident. legem statutam esse, occasione effusæ licentiæ sub libertatis specie in imprimendis & legendis autore Luthero sacris Scripturis, ex qua quævis natio Gallica, Germanica, Polonica, Anglica, Svecica, Belgica, &c. pro lubitu suo in vernacula lingva S. Scripturam interpretabantur, exponebant, glossas, explicationes, & notas adhibebant, quæ ferè omnes novæ, inauditæ, discrepantes, hodiè primùm è privatorum hominum cerebro ortæ erant: Unicuique item eandem legendi, relegendi, ac pervolvendi licentiam concedebant. Non itaque mirum, quòd ab Ecclesia Catholica fero ac ferventi huic mari certi termini positi sint, quos Christiano & Catholico homini præterire nefas fuerit.

Hunc igitur rei cardinem sede suâ movere nititur Mayerus admotis ex D. Chrysostomo arietibus, sed casso molimine; nam nec talis tum fuit Ecclesiæ status, nec proinde talis ab eadem in ullo Concilio Constitutio, aut Canon, seu regula lata. Quidquid igitur Mayerus ex eodem adfert, id totum, quia sine fundamento initio statim mole ruit suâ.

Mayerus frustra Côcil. Tridentini legem de legenda Scriptura oppugnat.

1. Lo-

1. Locus est quem adducit Mayerus Tomo 3. homil. 3. de Lazaro. *Ne quis enim mihi dixerit &c.* Cui loco velut epitomen & summam ejusdem præponit dicendo, quòd S. Chrysostomus (*nulli mortalium Scripturæ lectionem negligendam severè affirmat: nec quenquam negotiorum aliorum excusatione hic uti posse: Nulli è manibus Scripturam deponendā, qui salvus esse velit. Nullam domū esse vult, in qua non sacer codex reperiatur.*) Dixerit sanè hæc & his plura D. Chrysost. quid hæc contra allegatā Tridentinā regulam? Nonne ait: *Si cui concedenda lectio, standum hac in parte Judicio Episcopi &c.* Concedet igitur non illubenter Conciliū Tridentinum pro iis, temporis, loci, personarumque circumstantiis S. Doctorem rectè ad legendam omnibus Scripturam adhortatum fuisse Auditorem. Standum nimirùm hac in parte *judicio* tanti Episcopi, qui intelligebat pro eo tempore non fuisse *tantam* in suo Auditore *temeritatem*, quantam nunc passim videmus in tot nationibus & populis, *ob quam plus detrimenti quàm utilitatis ex lectione illa oriri posset*, intellexerat quoque *ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei atq; pietatis argumentum capere potuisse* suum Auditorem: meritò igitur volebat nulli è manibus Scripturam deponendam, nullam esse domū, in qua non sacer codex reperiatur. Deinde advertat quæso animum Lector ad id, quòd scilicet S. Chrysostomus Auditorem suum unius Civitatis, aut particularis Ecclesiæ Constantinopolitanæ adhortatus sit ad lectionem Scripturæ; Concilium autem Tridentinum suâ regulâ totum Christianum alloquitur orbem, eique non absolutè prohibet, sed cum prudenti & matura circumscriptione concedit eandem. Num igitur recta Mayeri argumentatio, D. Chrysost. concedit lectionem S. Scripturæ particularis

Chrysostomus eidem legi non repugnat.

cularis suæ Ecclesiæ Auditoribus. Ergò censendus est concedere Ecclesiæ universali, adeòque Concilio Tridentino sese è diametro opponere. Nostin' in quo deficiat talis argumentatio? Quin si D. Chrysost. vel è bustis vivus consurgeret, eamque quæ nunc est Ecclesiæ, in tot tamque diversas Sectas, dissectæ faciem contemplaretur, quid aliud aureo suo ore & eloquentiâ quàm prudentem illam & providam Concilii Tridentini regulam ac sententiam luculenter comprobaret?

2. Locus quem citat Mayerus est ex Tomo 4. Epist. ad Titum c. 1. hom. 3. Sed neque hìc Mayero quidquam potrocinatur S. Doctor? Præmisit enim S. Doctoris sententiæ hæc verba (*Et quàm blandè ob Scripturæ perspicuitatem ad illius lectionem invitat omnes.*) Nihil autem horum ibi legitur, quod ipsum patet ex contextu homiliæ. Nam inprimis S. Doctor explicat illa S. Pauli verba: *Dixit quidam ex ipsis proprius ipsorum Poeta Cretenses semper mendaces &c.* (vide ne & tu Mayere è numerosis illorum, cùm tam corrupta mente incorruptum Doctorem alleges) *ob quam causam argue eos durè* ait ulter: Apost. (verè & tu cum tui similibus durè arguendus fores *ut sanus sis in fide* quemadmodum ibi ait idem Apostol. *non attendens fabulis* ex uno Saxoniæ angulo contra Romanam Ecclesiam exortis, & ad perniciem animarum falsò excogitatis, aut lubrico fundamento innixis: *nec attendas mandatis hominum*, nuper natorum, rejectâ Ecclesiæ authoritate, universalitate, antiquitate, consensione, firmatâ *aversantium se à veritate, &c.*) Hunc inquam locum S. Pauli explicans præsertim illud diverbium, *Cretenses semper mendaces*, quærit inprimis *quis hoc dixerit? quam ob causam? cur testimonium adduxit in medium, quod non rectè se habeat?* Ubi postquam multis

In Lutheranos servit locus Sancti Chrysostomi in Epist. ad Titum c. 1.

multis adductis exemplis ostendisset, quòd *Deus ubiq; & in omnibus condescendit (mortalibus) imò de se ipso opiniones erroneas, suaq; indignas maximè majestate permittat adstrui, &c. quod utiq; totum ad fidei nostræ robur communiendum apprimè utile est.* Atque hoc ipsum tandem confirmat à simili ducto, à *Patre nullam habente suæ Majestatis rationem; si cum puerulis suis linguâ totâ balbutit &c. quævis & alimoniam quidē & edulia pocula quoq; vocabulis appellet* οὐχ ἑλληνικοῖς *non elegantibus & doctis &c. Sic multo magis Deus & exprobrat clementer eò se demittens, cùm per Prophetam dixit, si mutabunt gentes Deos suos?* His adductis tandem concludit: *Hujus condescensionis Divinæ argumenta invenire liceat in sacris literis, tum verba, tum res ipsas.*

Hoc itaque loco Mayere vis probare, quòd S. Doctor *blandè ob scripturæ perspicuitatem ad illius Lectionem invitat omnes.* At quâ fide manifestè vides? Etenim toto hoc textu ne verbum quidem legis de perspicuitate Scripturæ, neque quòd *blandè ad illius lectionem invitat*, & quidem *omnes*, sed solùm ait de Divina condescensione, quâ sese supremum illud Numen omnibus accommodat, altitudinem Majestatis suæ inaccessam, & dignitatis excellentiam omni rei creatæ supereminentem, ad mortalium captûs convallia demittens.

3. Locus est ex Tomo 4. hom. 9. in Epist. ad Coloss. Sed neque hic locus quidquam militat contra Concilium Trident. Nam Chrysost. explicans illa S. Pauli verba, *Verbum Christi habitet in vobis abundanter.* Hortatur Auditores suos ad legendas Scripturas *non leviter, nec temerè*, sed *magno studio & diligentiâ*: Cui monito S. Patris & S. Pauli mandato minimè repugnat Tridentini Regula. 4. Siquidem expressè concedit lectionem *non temerariam*,

non *ex qua damnum, sed fidei atq; pietatis argumentum capere possint* legentes. Certè ut verbis S. Doctoris nonnihil inhæreamus, illaque profundiùs discutiamus. *Hoc est,* inquit, *omnium malorum causa nescire Scripturas.* Hocq; ipsum repetit, cum alibi, tum Tom. 4. Procemio in Epistolas S. Pauli. *Infinita (hinc) orta sunt mala ab ipsa videlicet sacrarum scriptionum ignoratione, hinc multa hæreseon lues pullulavit &c.* Dum talia & similia edisserit S. Doctor, intelligendus est loqui de ignoratione non qualicunque, neque simplici & absoluta tantùm ipsius scilicet Scripturæ quoad literam externam, sed etiam & quidem multò magis de ignoratione ejus, quoad internum sensùm, veramq; genuinam, propriam, & secundùm mentem Spiritûs Divini, quo dictante & inspirante conscripta, interpretationem. Etenim quantumcunque quis noverit Scripturas easque indies legat, quid inde utilitatis hauriet? Si sensum ipsum genuinum & mentem ejusdem haud intelligat, & penetret, an non aquam cribro hauriet? Imò prô dolor! quantum detrimenti ex ea percipiet, si eandem perverso & hæretico sensu intelligat, & interpretetur? Quamobrem rectè cum D. Chrysost. dicam: *Hoc est omnium malorum causa nescire Scripturas*: Ethnico enim & infideli talem similiorem dixerim, quàm Christiano & fideli, qui eas ignorat. Ast dicam simul, *hoc est omnium malorum causa scire Scripturas*, scientiâ scilicet perversæ mentis & perfrictæ frontis, quasi bruti sensûs, quo scilicet S. Literæ ad proprium, ac privatum cujusque sensum, & palatum gustantur, masticantur, ad mentis, ut ita dicam, ventrem demittuntur, coquuntur, concoquuntur, atque in propriam substantiam convertuntur, quæ si sit corrupta, per cacochymiam corrupti intellectûs & voluntatis, corruptum

Quomodo intelligendus sit S. Chrysost. dicens quòd omnium malorum sit causa ignoratio Scripturarum.

Hæreses oriuntur ex S. Scripturæ, perverso sensu & interpretatione.

chylum, sangvinem & humores errorum, & hæreseon generari est necesse. O quot hæc res prò dolor! in corpore Ecclesiæ dogmatum cachexias? quot putridas & putidas opinionum falsarum synochos? quot denique malignas errorum febres, hæreseonque pestes in orbem invexit?

SS. Patrum de hoc unanimis sẽsus & consensus.

Agnovêre id SS. P.P. Hilarius lib. de Trinit. *Exstiterunt plures qui Cœlestium verborum simplicitatem pro voluntatis suæ sensu, non pro veritatis ipsius absolutione susciperent, aliter interpretantes quàm dictorum veritas postularet: de intelligentia enim hæresis est, non de scriptura, & sensus non sermo fit crimen.* August. Tom. 9. in Evang. Tr. 18. *Neq; enim natæ sunt hæreses & quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia; nisi dum Scripturæ bonæ non intelliguntur benè & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur.* Similia (ne longus sim) leges apud eundem de Genesi ad liter. L. 7. c. 9. & 83. Quæst. 69. Hieronymus Lib. 1. Comm. in cap. 1. ad Gal. *Marcion & Basilides, & cæteræ hæreticorum pestes non habent Dei Evangelium, quia non habent Spiritum S. sine quo humanum fit Evangelium; non enim consistit Evangelium in Litera sed sensu, non in superficie sed medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis*: Ubi S. Hieronymus alludit ad id, quod S. Paulus dicit: *Litera occidit, Spiritus autem vivificat.* 2. Cor. 3. 9. Et adversus Lucif. c. 9. *Scripturæ S. non in legendo, sed in intelligendo consistunt.* Taceo alios Irenæum, Athanasium, qui per particulares hæreses id quod in præsens tractatur propositum luculenter probant.

D. certè Chrysost. hoc ipsum in multis locis confirmat. Tom. 1. in Psalm. 118. m. f. 470. *Operæ pretium est, non modò gentilium fabulas ac Judæorum perfidiam fugere, sed etiam impia hæreticorum dogmata, quandoquidem & Ju-*

dæi

dæi & Gentiles, & Hæretici multa narrant ac Magistrorum faciem præferunt, mendacium pro subsidio habentes, nec de Divinis Scripturis aliquid loquuntur, aut si loquuntur ad cupiditates suas torquent. Verùm ut iniqui ac flagitiosi nugantur & fallunt. Nam & hâc ætate nostrâ hoc contigit: Christianorū enim accusatores hoc est, Iconoclastæ multos abripuerunt, & item Pauliciani, qui hæresis Manichæorum participes sunt: neq; ex divinis Scripturis locuti sunt, sed mendacio conteguntur, illudq; confirmant. Planè ad ungvem hæretici moderni à S. Patre descripti sunt. Item Tom. 2. in Matth. cap. 24. homil. 49. m. f. 449. ubi explicans illa verba: *Si quis dixerit vobis, ecce in domibus nolite credere. Spiritualiter autem de novissimis temporibus hæc ita sunt exponenda: Sunt hæreses, quæ mendacia sua quodammodo Scripturarum colorant autoritatibus,* & paulò post. *Domus autem hæreses quæ Scripturarum colorantur exemplis, quamvis non sint domus, veræ tamen vel videntur:* Et infra ad illa verba: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta: Ostendens per hæc quomodo ex ipsis Ecclesiis veris frequentes exeunt seductores, propterea nec ipsis omninò credendum est, nisi ea dicant vel faciant, quæ convenientia sunt Scripturis.* Eodem Tom. 2. in Matth. c. 7. hom. 13. m. f. 355. explicans illud. *Nolite Sanctum dare canibus. & margaritas vestras nolite projicere ante porcos. Item mysteria veritatis margaritæ sunt, quia sicut margaritæ inclusæ cochleis positæ sunt in profundum maris: Sic & divina mysteria in verbis (libris) inclusa, posita sunt intus in altitudinem Scripturarum S. Et sicut non omnis homo potest se mergere, & de profundo tollere margaritas, nisi artifex, qui habet usum rei illius, sic nec omnis homo potest descendere in altitudinem sensuum, & illic invenire Mysteriorum absconditas margaritas, nisi vir spiritualis, qui habet exercita-*

Hæretici scripturas S. ad cupiditates suas torquent.

Hæreses mendacia sua scripturarum autoritatib9 colorāt.

Mysteria fidei Margaritæ sūt.

Quas non omnis invenire potest nisi vir spiritualis exercitatus.

ercitationem spiritualium narrationum Dei. Ubi S. Doctor ostendit & *S. Scripturæ mysteria* non ita esse posita in aperto, ut aliqui existimant, sed potiùs *inclusa in verbis intus, in altitudinem Scripturarum recondita* & insuper *erui posse* nō ab omni, sed *nonnisi à perito* adeóq; vel hoc testimonio declarat, non omnibus facilè legendas & volvendas esse; sed non nisi *viris spiritualibus, qui habent exercitationem spiritualium narrationum DEI.* Tomo 2. in Matth. c. 7. hom. 18. m. f. 336. *Et infideles quidem & non timentes DEum inveniunt scientiam legendo* (supple Scripturas) *& studendo sed non illam, quæ ex Deo est, quæ per Spiritum S. datur: Sed hanc quæ est ex natura carnali, quæ per exercitationem carnis acquiritur.* Ubi paulò ante explicans illud: *Petite & dabitur vobis, quærite &c.* pulchrè hortatur, non tantùm ad solam studiosam Scripturarum lectionem sed etiam ad interrogandum Sacerdotes: *Adhuc* ait *quærite interrogantes Sacerdotes ceterosq; habentes scientiam spiritualium Scripturarum; Sicut præcepit lex interroga Patrem tuum & dicet tibi, seniores tuos & annuntiabunt tibi*, Deut. 32. Tomo 5. Orat. 8. m. f. 729. vehementer invehitur in Arianos, qui Scripturæ voces ad suos conceptus detorquebant *Cur tu his* inquit, *vocabulis abolitis tuorum cogitatuum & conceptuum commenta profers?* Patet igitur ex his D. Chrysost. agnovisse S. Scripturam ab hæreticis, tanquam *colorem ad mendacium suum tegendum* adhiberi. *Ad cupiditates*, item *suas*, & *ad propria cogitatuum commenta*, & sensus detorqueri, nec unumquemque *facilè in altitudinem sensuum* ejusdem *descendere*, atque *absconditas mysteriorum* illic invenire, & in lucem proferre posse *margaritas.* Ut ita meritò Mayere fateâre allegatis à te locis nihil contra Tridentinum Concilium egisse Chrysostomum; sed potiùs Ducem eidem & Autorem fuisse, ut prædictam regulam

S. Scripturæ non solùm legendæ sed etiam de iis interrogandi Sacerdotes.

Hæretici suorum Conceptuum commenta proferunt.

lam statueret de S. Scriptura, non à quovis passim sine discrimine & temerariè legenda, præsertim, ubi animæ periculum & detrimentum adesse, & non utilitas aliqua oriri, aut fidei ac pietatis argumentum capi posse ab Episcopo, vel Confessario, vel Parocho animadvertitur.

Hæc est igitur omnium malorum causa ait Chrysost. *hæc hæreseon luem pullulat, hæc magnum præcipitium, profundum barathrum magnaq́; salutis perditio, hæc hæreses peperit, vitam corruptam invexit; Hæc sursum deorsumq́; miscuit omnia* &c. Hæc inquam *ignoratio Scripturæ* non simpliciter & absolutè acceptæ, secundùm literam externam, sed secundùm spiritum sensumq́ue ejusdem internum difformem Ecclesiæ Dei. Atque tali ignorationi opponit se Tridentinum Concilium Lectionemq́ue Scripturæ cum tali ignoratione prohibet, ut dictum non prohibet autem Lectionem accommodantem sese sensui & interpretationi Ecclesiæ, quæ utique supereminet sensui uniuscujusq́ue privati, cum quo quicunque Scripturam legit, *fieri non potest*, ut ait Chrysost: *non potest inquam fieri, ut quis sine fructu discedat.* Quem si à lectione excludat, profectò fieri non potest, non potest inquam fieri ut quis cum fructu & non potiùs cum damno discedat. Res est clarior quàm ut uberiore probatione egeat.

S. Scripturæ lectio sensu proprio, & perverso omnium malorum causa.

E contra Lectio Sac: Scripturæ è sensu Ecclesiæ omniũ bonorũ causa.

Hanc verò Controversiam Mayerus concludens ore refert non cum Noëtica columba ramum virentis olivæ, hoc est, pacis Symbolum, sed solùm verbera & vulnera, verùm hæc ejus verbera sunt mera verba, vulnera non funera, sed munera & trophæa, Athletis Christi D. charactere & nomine insignitis, tesseramq́ue ejus *diligite inimicos vestros* diligenter observantibus, adferunt.

CONTROVERSIA II.

De Traditionibus.

SEmel dicacitatis laxatis frenis Mayerus ingressu hujus Controversiæ (*Tridentinos Patres, si Diis placet! illos severos*) sugillando appellat. Et sint sanè illi severi, modò simul, ut sunt, sint & veri. At ipse nec severus ex æquo, nec simul verus, quia nimirùm quàm severitatis, tam veritatis pari passu transilit cancellos. Oppugnat armis Traditiones, ne quidquam aurea adeòque vera D. Chrysost. insignia referentibus: ait enim (*eum Traditionibus reclamare, indignari, quin & D. Pauli anathema in illos contorquere, qui ejusmodi, quid vel hiscere ausi fuerint*) Quæ omnia quàm à vero aberrent, videamus?

Mayerus falsò ait S. Chrysost. Traditionibus reclamare, indignari &c.

1. Locus quem in rem suam adducit est ex Tomo 1. in Ps. 95. *Et quis est qui ista promittit? Paulus &c.* qui quidem locus reperitur in S. Doctore, at quâ fide citatus, agnoscat quisque prudens ex ipso contextu loci. Inprimis eo loco postquam S. Doctor egisset de Cantico, tum de Synagoga, atque ab hac descendens ad Ecclesiam novam, enumerâsset decem species sacrificiorum: inter quæ etiam, & quidem primo loco reponit Sacrificium Missæ novi Testamenti, Malach. c. 1. v. 11. *ab ortu Solis &c.* interpretans, appellando. *Mysticam mensam, quæ est incruenta hostia* & infrà, *est igitur hostia pura prima quidem mystica mensa, cœleste summèq; venerandum Sacrificium.* Item infer: *Primum Sacrificium illud salutare donum.* Et hoc quidem tu Mayere, cum Chrysost. haud agnoscis, sed potiùs cum exterminatore hujus hostiæ, & jugis Sacrificii olim venturo extremis Ecclesiæ diebus, rejicis, adeòq;

S. Chrysost. Sacrificium Missæ agnoscit.

eóque in hoc tu minimè Chrysostomianus, nec Chrysostomus tecum Lutheranus. Postquam dein decem speciebus Sacrificii enumeratis, extulisset sacrificium ultimum *fructificationis, seu beneficentiæ in pauperes,* descendit ad *Passiones & Martyria Sanctorum,* ubi cùm statuisset, *Sæpenumero Sanctorum esse pro impiis pati,* idque fieri exemplo Christi D. qui nihil peccaverat, & pro peccatoribus traditus fuit. Quin pro solatio ægrotantium addit, & *ægrotatio piis qui peccaverunt, imputatur pro supplicio*: tandem id ipsum confirmat dicens, *Et quis est qui ista confirmat*? responderque *Paulus*: ac tum ut ostendat effata Doctoris, aut Concionatoris testimonio S. Scripturæ confirmanda, ne videantur esse è proprio sensu dicta, adjicit: *Neq; enim oportet quicquam dicere sine testibus, solaq; animi cogitatione: Nam si quid dicitur absq; Scriptura auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc hæsitans, & interdum Sermonem ut frivolum aversans, interdum ut probabilem recipiens: Verùm ubi è Scriptura Divinæ vocis prodiit testimonium, & loquentis sermonem, & audientis animum confirmat.* Ubi sensatus Lector quæso animadvertat, an S. Doctor quidquam attingat eorum, quæ Mayerus sese demonstraturum est pollicitus. Nimirum *S. Doctorem Traditionibus reclamare, indignari, & D. Pauli anathema in illos, id est, Tridentinos PP. contorquere*?

Ægrotatio piis imputatur pro supplicio.

Concionator sine S. Scripturæ testimonio nihil proferat.

2. Locus est Tomo 4. in Epist. ad Gal. Sed neque hic patrocinatur tibi Mayere? & utinam legisses paulò accuratius hunc Commentarium S. Doctoris, invenisses in illo ea, quæ præclarè in te tuique similes quadrant. Etenim quod Paulus Galatis initio Epistolæ objicit, hoc ipsemet unà & D. Chrysostomus, Luthero, & ceteris ejus simul tecum asseclis, quin omnibus ab Ecclesia Catholica Ro-

mana extorribus in faciem opponere posset: atque ego nunc eorum nomine meritò oppono. *Miror quòd sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium! quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Christi.* Miror inquã, O Germani, Angli, Dani, Sveci, Belgæ &c.! quòd sic tam citò scilicet ab accepto Evangelio, & Christi fide, non ab alia Ecclesia, quàm Romana Catholica, aliquot abhinc seculis, *transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi* per viros Apostolicos à Romana sede missos, Augustinos, Ansgarios, Ottones, Lambertos, Henricos, Aeschilos, Sigfridos, quis verò omnes memoret? *in aliud Evangelium* novis confictis, & ex privato hominum cerebro modò natis Confessionibus fidei; *quod non est*, re vera & de facto *aliud*; quia unicum tantùm, à quatuor Evangelistis conscriptum, & ab Ecclesia tot seculis receptum & traditum, *nisi sunt aliqui* idque non pauci, Lutherus, Zwinglius, Swenckfeldius, Calvinus, Menno, Socinus, Ariminus, Barclajus & sexcenti alii, *qui vos conturbant*, nec conturbare & convertere Evangelium desistunt. Quisq; enim illorum Evangelium jactitat; quisq; Evangelicam fidem docere se venditat, quisque Evangelicus dici & audire exambit, & tamen quisque illud aliter & aliter explicat, exponit, ad proprii sensus libidinem detorquet, seu ut D. Augustini verbis utar, *prout suus cuiq; autor est animus*: ut ita sub specioso Evangelii nomine perniciosum hæreseos virus incautis & simplicibus propinent & infundant mentibus. Sic *fistula dulcè canit, volucrem dum decipit auceps.* Sic & venator laqueos occultat, aut viridi ramo contegit, ut incautas feras, in suas trahat casses. Nam audi hæc ipsa planè verba, calamo scribenti eripientem Chry-

Mirandum quòd tam citò Germani & ceteri apostatæ à tot seculis suscepto Evãgelio Cathol. Eccl. sint translati in aliud Neo-Evangelium Lutheri, Calvini aliorumque Sectariorum.

Chrysostomum *hujusmodi diaboli fraus est haudquaquam nudos proponere laqueos, quibus venatur homines. Etenim si dixissent, discedite à Christo Galatæ, vitâssent eos velut impostores & corruptores. Nunc verò sinentes eos adhuc in fide manere, & interim fraudi prætexentes Evangelii nomen impunè summâq; audaciâ perfodiebant domum, videlicet iis quæ dixi obtentis velamentis, per hæc nomina celantes parietum perfossores.* Quid manifestiùs dici potest de novis reformatoribus, aut veriùs perfossoribus Domûs Dei Ecclesiæ, Luthero, Calvino, Socino, ceterisque. *Quam tamen* (pergit D. Chrysost.) *suam imposturam appellabant Evangelium.* Ita omninò & nunc Hæretici imposturas suas similiter Evangelium vocant. Et quod idem Doctor de Hæreticis illius temporis dicit, *Neq; hi recipiunt omnes Evangelistas sed unum duntaxat, quod ipsum tamen suo arbitratu mutilârunt, commiscueruntq;*: Huic quid simile videmus fieri à nostri temporis hæreticis; Nam & ii sacrorum librorum Canonem constituunt, qui illis placet, non qui à majoribus tot seculis receptus; rejiciunt libros, quos volunt, acceptant quos itidem volunt, mutilantq; & commiscent, interpretantur, exponunt, glossemata addunt, quisque pro suo gustu, & palato: In luce sunt quæ dico, loquuntur id in quavis Secta, tot linguis, à tot viris impressa Biblia, eorumque inauditæ antehac interpretationes, expositiones, explicationes. Cujus rei etiam idem S. Doctor adfert causam. *Nam quemadmodum* (ait ille) *oculus turbatus aliud pro alio cernit, ita mens pravarum cogitationum confusione perturbata idem pati consuevit. Itidem & qui laborant insaniâ, alias pro aliis rerum species se videre credunt. Verùm hæc insania periculosior est, quàm illa quæ noxam adfert, non in rebus intelligibilibus, non in*

Hæretici fraudi prætexentes Evāgelii nomen impunè perfodiunt Domum Ecclesiæ Christi.

Imposturam suam appellant Evangeliū.

Evangelium & S. Scripturam mutilant, cōmiscent.

Quæ causa pravitatis & confusionis hæreticorum in explicādis Scripturis.

pupilla corporalium oculorum, sed in oculis animi distortionem gignens. Et quia sunt aliqui hoc ævo, qui cum Catholicis agentes, dicunt se ab illis parum aut nihil diffidere, in ceremoniis tantùm & adiaphoris esse discrimen: Sacerdotes & Doctiores impertinentes movere in scholis quæstiones, eò vel maximè quòd unus alteri de honoris sede per ambitionē cedere detrectet? Audiant & hi S. Doctorem graviter loquentem: *Ubi sunt* inquit *igitur hi, qui nos ut contentiosos damnant, eò quòd cum hæreticis habemus dissidium, dictitantq; nullum esse dicrimen inter nos & illos, sed ex principatûs ambitu proficisci discordiam. Audiant quid dicit Paulus, nimirum illos subvertisse Evangelium, qui paululùm quidquam rerum novarum invexerant. Isti verò non simpliciter pusillum quidquam innovârunt* (loquitur de Arianis) *nam qui pusillum? qui Filium DEI prædicant esse creaturam? Sed quod est omnium maximum immutant.* Quod quidem totum fervit inprimis Arianis tum veteribus, tum novis, à Socino, Serveto, &c. resuscitatis. Sed & Lutheranos, Calvinistas, ceterosque tangit. Omnes enim *quod est omnium maximum immutant:* Nam & Ecclesiæ faciem sub nomine Evangelicæ reformationis aliam quàm fuerit ante per tot secula inducunt, & induunt. Et Avos, Proavos, Atavosque ac cæteros Majores condemnant, quin & Antichristi asseclas proclamant, & vitam cœlibem, statumque Spiritualem & religiosum tollunt, & sacras ædes vastant, & altaria profanant, quid multa? Sacra miscent profanis, susque deque omnia invertunt. An non id *quod omnium maximum immutant?* Et quidem ita, ut quisque horum aliter & aliter Ecclesiam immutandi, reformandique jus sibi adscribat, & prætendat, atque adeò eam in mille Sectas milleque partes discindunt. *Et sanè ob hanc*

Subvertunt Evangelium, qui aliquid rerum novarum invehunt.

Hæretici etiam nunc quod est maximum in Ecclesia Dei immutant.

causam

causam (ut adhuc aureum Os verè aureè loquens audiamus) *deridiculi facti sumus & gentibus & Judæis dum Ecclesia in mille partes discinditur. Etenim si iis qui à Divinis præscriptis resilire conabantur, & paulò secùs quiddam quàm oporteret tentabant, mox ab initio fuisset conveniens adhibita increpatio, nequaquam nata fuisset hæc pestis, haudquaquam tanta tempestas Ecclesiam occupâsset.* Quàm verè idem dici potest de prætensa reformatione Ecclesiæ præteriti seculi, sed & de novis hoc seculo Quakerorum exsurgentibus Sectis? Quis verò harum reformationum fructus? quæ utilitas? nimirum ut rem hanc egregiè prosequitur idem S. Pater. *Has ob causas in tumultu & turbatione sunt res nostræ, adeò ut qui discipuli esse debuerunt audientes* (scilicet Ecclesiam, quam qui non audierit effato æternæ veritatis tanquam *Ethnicus & Publicanus*, sit necesse, ejusdemq; Præsides quos *qui audit, audit Christum*, quique illos *spernit, spernit Christum.*) *multa repleti mentis elatione everterint ordinem, & quæ erant superiora facta sunt inferiora.* Quisque enim horum Novatorum Ecclesiam, ejusdemque Præsides, Episcopos, Pontifices, eorumque mores ac vitam judicant ac redarguunt, Sacerdotes detestantur, condemnant doctissimos quosque erroris, lapsûs, atque extremæ ruinæ, ac vel ideò universæ Ecclesiæ reformandæ jus sibi prætoriâ censurâ arroganter vendicant ac venditant. Verùmenimverò (audiatur porrò S. Doctor) *Etiamsi qui præsunt improbi forent, innumerisq; scaterent malis, nec sic quidem fas esset discipulo dictis non audientem esse. Etenim si de Judæorum Doctoribus dictum est, quoniam super Cathedram Moysis sedebant, eos esse dignos, qui à discipulis audirentur, quanquam operibus erant tam malis, ut Dominus præceperit, ne illa imitarentur; quâ veniâ digni erunt, qui Ecclesiæ Præsules per gratiam Dei modestè*

Ob Sectarum & hæresum dissidia deridiculi facti sunt Christiani gentibus & Judæis.

Ab initio hæresum pestes tollendæ.

Propter hæreses in tumultu & turbatione sunt res Christianorum.

Præsides etsi improbi audiendi.

Nefas est judicare Doctores & Ecclesiæ Præsides.

viventes conspuunt & conculcant: *Quodsi nefas est, ut alius alium judicet, quantò magis fas non est judicare Doctores?* Judicare Pontifices judicare visibilia Ecclesiæ visibilis capita, Vicarios Christi, Successores Petri ipsam denique Ecclesiam?

Tandem S. Doctor descendit ad explicationem illorum verborum. *Sed etiamsi ego aut Angelus de cœlo Evangelizaverit vobis præter id quod accepistis, anathema sit*: adjicitq́ue id quod tu Mayere allegas, ita ut haud sentias tibi ab eodem vulnus infligi, fortè sensum dum plùs sentis, quàm oportet sentire, sapientiamq́; dum plùs sapis quàm oportet sapere, malô tuô, perdidisti? Audi ergo te non Concil: Trident. ferientem Chrysostomum. *Neq; dixit* ait *si contraria annuntiaverint, aut totum Evangelium subverterint, verùm si vel paululùm Evangelizaverint, præter Evangelium quod accepistis? etiamsi quidvis labefactaverint, anathema sint.* Atq́ue ita vide Mayere quo pacto D. Chrysost. non in Concil. Trident: sed potiùs in te tuiq́ue similes, inq́ue alios Novatores Neo-Evangelicos fulmen anathematis cõtorquet cum D. Paulo, qui etiamsi non totum Evangelium subvertitis certè evangelizatis *præter Evangelium quod accepistis*, scilicet à Catholica Romana Ecclesia, à SS. Patribus, ab antecessoribus vestris. Quanquam & Evangelium subvertitis, quando quisq; vestrum proprios sensus ei subjicitis, illudq́ue ad privati vestri spiritûs crisin accommodatis, dumq́ue illud solùm fidei regulam & judicem esse vultis, vos ipsos regulas & judices illo superiores, seu regulantes, applicantes, explicantesq́ue illud in ordine ad hos vel illos fidei articulos statuendos, constituitis; universalis Ecclesiæ cui Spiritus S. Doctor & Director est appromissus, universalitate, antiquitate,

Si quis vel paululùm Evangelizaverit præter Evangelium quod accepit scilicet ab Ecclesia anathematizatur à Divo Paulo.

Hæretici etiam Evãgelium subvertũt proprios ei sensus subjiciendo.

tate,consensione,velut triplici funiculo,qui difficilè rumpitur concatenatæ, aut velut tribus inconcussis firmamentis consolidatæ, autoritate, in exponendis scripturis applicandisque ad hos vel illos fidei articulos prorsus repudiatâ. Quod quid est aliud quàm Evangelium aliud prædicare, quàm quod accepistis, quin subvertere Evangelium?

Denique quod ibidem Chrysostomus ait, quòd *Christus ipse inducat in parabola loquentem Abraham: (habent Mosen & Prophetas, si illis non crediderint, neq; mortuos resuscitatos audituri sunt) declarans se velle plus fidei habendum Scripturis, quàm si mortui reviviscant.* Id certè verissimũ est, plùs nimirum fidei scripturis habendum, at non ut ante dixerat Chrysostomus *tanquam colore ad mendacia sua tegenda adhibitis, non ad cupiditates suas, non ad propria cogitationum commenta & sensus detortis.* Quod tu Mayere, quod tuus Antesignanus Lutherus, quod Calvinus, quod Socinus, quod denique ceteri omnes Novatores fecêre & faciunt; sed potiùs scripturis è mente & sensu Ecclesiæ universalitate, antiquitate, consensione firmatæ intellectis. Ac tandem & illud verissimum est, quo claudis hanc controversiam ex D. Chrysost. *Paulus (atq; in illo Christus cujus ille mentem agebat.) etiam Angelis è Cœlo descendentibus præposuit scripturas, idq; valdè congruenter.* Scripturas, inquam, ut toties dixi, intellectas & expositas non à proprio, & privato cujusque spiritu, sed ab universali, antiqua, & consentiente Ecclesia, cui soli S. Spiritus appromissus, datus, qui eam *docet veritatem omnem*, eique adest *usq; ad consummationem seculi.* Atque ita vides Mayere, quòd neque hic locus quidquam pro te militet? Etenim ne unico quidem verbo attigit Traditiones quòd *eis reclamet, indignetur, anathema contorqueat in illos, qui ejusmodi quid vel hiscere ausi fuerint.* Quomodo enim

Quo sensu D. Chrysostomus ait plus fidei Scripturis habendum quàm si mortui reviviscant. Controv. 1.

Quo sensu D. Paulus Scripturas etiam Angelis è Cœlo descendentibus præposuit.

S. Chrysost. cum S. Paulo docuit Traditiones præter Scripturas.

enim id faceret, cùm eidem conftiterit à Paulo apertè Traditiones effe relictas fidelibus de quibus manifeftè loquitur 1. Corinth. 11. *Laudo vos Fratres quòd per omnia mei memores eftis, & sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis. Præcepta mea*, non ait fcriptis mandata, fed ficut tradidi, adeóque tradita præcepta præter fcripta intelligit, quod etiam nomen Græcum Παραδόσεις id eft Traditiones indicat, quod in vulgata legitur *Præcepta* : hocque ipfo nomine traditionum utitur S. Chryfoft. in Oratione 26. ad hunc locum exprefsè ponens : *Sicut tradidi, vos traditiones meas tenetis.*

At verò ut id manifeftiùs pateat nimirùm S. Chryfoft. docuiffe Traditiones præter S. Scripturam Apoftolicas in Ecclefia dari, dabimus ex illo manifefta teftimonia. Interim Mayere arrige aures, & de Sancto orthodoxo Patre faniorem ac veriorem fenfum accipe.

Hæretici non Scripturis fed mendacio conteguntur illudq; confirmãt.

Tomo 1. homil. in Pfal. 118. m. f. 470. loquens de Hæreticis. *Neq; ex Divinis literis locuti funt, fed mendacio conteguntur, illudq; confirmant* : Quod etiam de hodiernis verè dici poteft. *Nos autem qui Evangelium fequimur & rectè de Divinis rebus fentimus, quemadmodum accepit Sancta DEI Catholica Ecclefia fic loquimur*, & pauló poft. *Docet autem nos traditiones eas quas accepimus retinere* (fcilicet David illis verbis) *Ego autem non dereliqui mandata tua.*

Rectè de Divinis rebus fentientes, fic loquuntur quẽadmodũ Sancta Dei Catholica Eccles. accepit fcilicet à Majoribus.

Et quia Sectarii objicere folent contra Traditiones Ecclefiæ illum locum Matth. 15. ubi Chriftus Dominus exprobrat Judæis. *Quare etiam vos transgredimini mandatum DEI propter traditionem veftram.* Ideo audi S. Doctorem quomodo huncce locum explicat. Tom. 2. hom. 52. m. f. 181. *Nec quia Seniores fed quia vos dicitis, non dixit feniorum traditionem, fed veftram* & poft pauca. *Non enim habet*

Traditio Seniorum haud refellenda.

habet autoritatem legis, quod ab hominibus adinventum est; Quocirca non legem sed traditionem horum iniquissimorum traditionem vocat. Verùm quoniam non erat illa traditio legi contraria, quæ totis manibus comedere jubebat, aliam legi contrariam in medium adducit. Atqui traditiones Ecclesiæ Cathol. sunt *traditiones Seniorum* scil. Apostolorū eorundemq; Successorum, sunt *ab hominibus quidem inventæ,* sed à Spiritu DEI incitatis, *non sunt hominum iniquissimorum,* denique sunt tales, *quæ non sunt legi contrariæ.*

Et ne longum eamus, cùm breve sit iter per exempla: accipe traditionem Apostolicam; in sacris mysteriis Sacrificii Missæ orandi pro mortuis consvetudinem à D. Chrysost. agnitam & perennaturæ memoriæ post se relictam Tom. 4. in Epist. ad Philip. c. 1. serm. 3. ad fin. m. f. 497. *Non frustra hæc ab Apostolis sunt legibus constituta, ut in venerandis inquam atq; horrificis mysteriis memoria eorum fiat, qui decesserunt. Noverunt enim multum ad illos lucri accedere, multum utilitatis. Eo enim tempore, quo universus populus stat manibus passis ac Cœtus Sacerdotalis, & illud horrorem venerationis plenum incutiens Sacrificium, quomodo DEum non placabimus pro iis orantes, atq; id quidem de iis qui in fide decesserunt,* & addit id ipsum DEum velle: *vult enim DEus nos nobis mutuum auxilium adferamus,*

Traditio Apostolica est orare pro mortuis in Sacrificii mysteriis.

Meminit quoque S. Doctor Traditionis quæ fit per opera quæ est imitatio quædam Christi D. aut Apostolorum per vitam ac opera bona, ita ut è mente ejusdem dici possit, *Traditio* alia *Dogmatica,* alia *Pragmatica,* illa merè sola complectitur credenda seu articulos fidei, hæc agenda, seu vitam & actionem bonam ad imitationem à Christo & Apostolis dati exempli: & hujus qui-

dem posterioris meminisse videtur Apost. ad Thessal. 2. cap. 3. *Denuntiamus autem vobis Fratres in nomine Domini nostri JEsu Christi, ut subtrahatis vos ab omni Fratre ambulante inordinatè, & non secundùm traditionem quam acceperunt à nobis.* Quæ verba S. Doctor Tom. 4. m. f. 613. ita explicat. *Ambulante inquit, hoc est vivente, & non secundùm traditionem quam acceperunt à nobis, traditionem ait quæ fit per opera & Dominus hanc semper dicit traditionem.* Idque ipsum confirmat. Tom. 4. in 2. Tim. 1. v. 13. hom. 3. m. f. 670. in verba illa *formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide*, sic ait, *non modò per literas, sed etiam verbis discipulo, quæ essent agenda dictavit, quod plurimis & aliis in locis ostendit dicens 2. Thessal. 12. sive per verbum sive per Epistolam, quasi per nos missam: hoc & hic multò magis fecit, ne igitur minus aliquid doctrinam habere putemus plura illi* (Timotheo) *absq; scriptis tradidit quæ illi modo ad memoriam revocans dicit, formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti. Quid autem hoc sibi vult? pictorum inquit, more imaginem tibi virtutis impressimus, & omnium quæ Deo grata sunt veluti normam, privatamq; formam tuæ indidimus animæ Hoc igitur habeto firmiter, & sive de fide, sive de charitate, sive de castitate opus sit loqui ac definire, inde tibi exemplaria accipe.*

Traditio etiam per opera datur.

S. Paulus Timotheo plura absq; Scripturis tradidit.

Ad extremum nihil clariùs de Traditionibus dici potest, quàm id quod legis Tom. 4. Comment. in Epist. ad Thessal. 2. cap. 2. homil. 4. m. f. 611. super illa verba. *Itaq; Fratres state tenete Traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram,* ait, *Hinc est perspicuum quòd non omnia tradiderunt Apostoli per epistolam; Sed multa etiam sine scriptis & ea quæ sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoq; traditionem censeamus esse fide dignam, est traditio, nihil quærat ampliùs.* Quid

Non omnia Apostoli tradiderunt per Epistolam.

Ecclesiæ proinde traditio debet esse fide digna.

Quid ad hæc Mayere? Somniâsti tibi & Heidelbergero à D. Chrysostomo dictum *Scrutamini libros meos qui sententiam ferent.* Apparet tibi somnium hoc jocum fuisse non rem seriam, aliàs credo te scrutatum fuisse libros S. Doctoris diligentiùs, id quod à me factum cernis: an fucum facere volebas adferendo aliqua ex S. Patre, quæ planè tuo proposito haud cohærebant? Jam te labore scrutandi libros ejus libero, fide bonâ à me huc depromta, lege & agnosce sententiam contra te latam, fateâre ingenuè te aut ignoranter, aut fraudulenter egisse, (neque enim aliter judicare me jubent, tua scripta) palamq; velut in faciem sine fronte restitisse PP. Concilii Trident: eisdemque objecisse, quod *Traditionibus quas approbant reclamet, indignetur, quin & D. Pauli anathema in illos contorqueat Chrysostomus.* I nunc O bone vir & consensum Chrysost. cum PP. Concilii Trident. dissensum verò à Lutheranis agnosce, adeóq; Chrysostomum non Lutheranum, sed Romano-Catholicum stentoreâ voce ingenuâ etsi invitâ Minervâ coram tuo Auditore declama.

Mayerus vel invitus Traditiones Ecclesiæ agnoscat est necesse.

CONTROVERSIA III.

De Immaculata Conceptione B.V.M. DEiparæ.

TAngit porrò hic Mayerus (nescio quo, uti & cetera, nexu, illóne quo apud Poëtam *amphora cœpit institui, cur urceus exit*) Quæstionem de Conceptione sine labe originalis peccati Sanctissimæ Virginis Deiparæ, ut scilicet (verba sunt oris & lingvæ ad effrenem dicacitatem assvetæ) *bilem in nasum creet Mariæ amatorculus,* At noverit quòd bilis ejus quantumvis amarulenta, nequa-

Mayerus Catholicos amatorculos vocat.

quaquam nobis amabilem ac Dulcissimam DEI ... cem ingratam & insuavem reddat. Quin utinam & tuo pectori, Mayere vel unica dulcis, veriq; amoris guttula insideret illius quæ *Mater* est *pulchræ dilectionis*, Deoque, Christo ejus Filio, ac Superis omnibus est in amoribus, solis inferis, iisque qui saxo graviores eò tendunt, invisa; vel sic enim te *calamus scribæ velociter scribentis* benedicti ejus Filii Christi D. in Catalogo *generationum*, quæ illam *beatam dicunt*, reponeret.

Promisisti autem te commemoraturum quid *Chrysostomo super ea re videretur*, at promisso haud stetisti: Nescio quid solùm ex Melchiore Cano, & Alphonso Salmerone Verborum, *in impudentissimum os* (ut tu inquis impudenter scilicet veteri diverbio, qualis quisque est, tales alios esse putat.) *Heidelbergeri ingerere* contendis. Verùm id merum est nihil, aut quid Chimæræ simile. Quasi verò illi hæc verba scripta posteritati reliquerint? *Chrysostomus est unus ex illis qui Virginem Mariam ambitiosam, & cupidam vanæ gloriæ, ac laudis exstitisse dicunt, & incredulam etiam aliquando.* Hinc verò concludis tanquam infallibilem & apodicticam sequelam. *Unde autem hæ spinæ nisi à corrupta radice?* O Philosophum Aristotele subtiliorem! O Theologum ipsis Angelis sublimiorem! Veriùs dicam. O fallacem impostorem! & D. Chrysostomo quòd talia protulerit; & Salmeroni, quod talibus suas albo dignissimas calculo lucubrationes fœdaverit, & denique Auditori ut talibus anilibus commentis fidem præberet: Nam quod attinet Salmeronem nullibi blasphema hæc verba apud illum reperiuntur, quamvis diligenter à me quæsita; Etenim dicis apud Salmeronem haberi Tom. 3, comm. in Epist. Paulinas Disp. 9.

Falsò affingitur D. Chrysost. quòd B. V. M. ambitionis & incredulitatis arguerit.

Apud Salmeronem verba Divi Chrysostomi haud reperiuntur.

Atqui

Atqui cùm non citaveris Epiſtolam difficile eſt ariolari, in quanam ea verba legantur. Nihilominus tamen non reperiuntur in Epiſtola ad Galatas; quia Diſp. 9. objectiones contra Catholicum ſenſum de juſtificatione per fidem & opera bona diluit, ubi etiam pro ſententia Catholica D. Chryſoſtomum citat. Non in Epiſt. ad Epheſ. ubi Diſp. 9. explicat illa verba c. 4. *Obſecro itaq; vos ego vinctus in Domino.* Non in Epiſt. ad Philip. quia ſuper hanc non habent Diſp. nonam, uti nec ſup. Ep. ad Coloſſ. Item ad Theſſ. Sed nec in Epiſt: ad Timoth. ubi in cap. 2. habet diſputation. 9. Sed ibi pluribus de muliere præſertim Eva diſputat Chryſoſtomumque aliquoties adducit, nihil autem habet de B. M. V. In 2. ad Timoth. Epiſt. non habet diſp. 9. Sed ſolùm quinq; ad Titum, ad Philom: quoque non habet Diſp. 9. Neque tandem in Epiſt. ad Hebr. quidquam horum legitur.

Quis verò unquam cogitare, nedum proferre audeat? Divum hunc talia aliquando ſcripſiſſe, aut elocutum eſſe aureo ſuo ore, qui Sanctiſſimam Dei Parentem tantis effert encomiis, ut eam vocet *Virginem per cuncta mirabilem.* Ita enim Tom. 2. in cap. Matth. 1. hom. 4. m. f. 17. loquitur. *Erat enim illa Virgo per cuncta mirabilis, cujus virtutem Evangeliſta Lucas declarans refert, quòd cùm ab Angelo verba ſatis honorificæ Salutationis audiviſſet, non ſemetipsam continuò, ut fit, in gaudium relaxavit, nec nimis credula nova dicta ſuſcepit, ſed honeſta ac decenti trepidatione permota cujusmodi eſſet Salutatio illa? quæſivit; Virgo igitur tanti pudoris & ponderis vel exanimari potuiſſet, ſi tam grande ſibi imminere cogitâſſet opprobrium.* Intelligis jam Mayere, quomodo Sanctus Doctor nobiscum amatorculus Divæ MARIÆ *Virginem per*

D. Chryſoſt. vocat Dei Parentem Virginem per cuncta mirabilem.

cuncta mirabilem, non ambitiosam, nec incredulam, ut tu confingis, aut somnias, facit? Quæ insuper *cùm ab Angelo verba Salutationis satis honorifica audisset, non semetipsam continuò ut fit* scilicet ex ambitione & appetitu vanæ gloriæ & laudis *in gaudium relaxavit*; nec planè incredulam, etsi *non nimis credulam*, quod humilitatem modestiæ ac prudentiæ junctam denotat, appellet.

Quid quòd idem S. Doctor eam speciosiorem & digniorem censeat toto mundo Tom. 2. in cap. Matth. 1. hom. 2. m. f. 308. *Verè enim* (ait de Josepho) *non cognovit eam ante cujus fuerit dignitatis, quæ unigeniti Dei facta fuit Mater, sed postquam peperit, tunc cognovit eam, quasi speciosior & dignior fuerat, quàm totus mundus, nam quem totus mundus capere non poterat, nec merebatur accipere, quasi in angustum cubiculum uteri sui sola suscepit.*

Speciosiorem & digniorem vocat quàm totus mundus.

Adhæc illamńe ambitiosam? illamńe cupidam gloriæ? illamńe incredulam S. Doctor diceret? quam noverat plenam gratiâ, Spiritu S. superveniente repletam, virtute altissimi obumbratam, benedictam inter mulieres, beatam quæ credidit, per quam denique agnoscit nos vitam invenisse æternam? Tom. 1. hom. in Ps. 44. m. f. 356: *Virgo nos paradiso expulit per Virginem vitam æternam invenimus.*

Per B. V. ait idem vitam æternam invenimus.

Quis porrò Sancti mei Chrysostomi de Benedictæ Virginis Mariæ Immaculatæ Conceptione sensus fuerit? vel exinde innotescit, quia pluribus locis eam vocat *immaculatam, intaminatam* absolutè & simpliciter. Tom. 5. Orat. 1. in Annuntiationem m. f. 909. *Missus est incorporeus servus ad intaminatam* seu immaculatam (hæc enim idem significant ex Græco) *Virginem, missus est immunis à peccato ad eam quæ corruptionis omnis expers erat.* Notandum

Intaminatam & omnis corruptionis expertem eandem dicit.

dum quòd S. Pater eam vocet *omnis corruptionis expertem*: quid igitur impedit ut dicatur omnis tam corporis, quàm animæ corruptionis expertem etiam in sua Conceptione? eam certè mentem fuisse S. Patris, non est dubitandum, qui tantis encomiis effert hanc nunquam satis laudandam, ac beatam dicendam ab omnibus generationibus DEI Parentem.

In Liturgia enim sacra Tom. 2. m. f. 545. hujus pretiosissimæ Parentis meminit, vocatque illam *incontaminatam* seu immaculatam aliquoties. *Defende* inquit *Serva miserere, custodi nos Deus gratiâ tuâ Sanctissimæ & incontaminatæ, super omnes Benedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ & semper Virginis MARIÆ cum omnibus Sanctis memoriam agentes: Nos ipsos, & invicem, & omnem vitam nostram Christo Deo nostro commendemus.* Item repetit infra. *Sanctissimæ incontaminatæ super omnes benedictæ &c.* Item sanctissimam incontaminatam & super omnes benedictam.

Ibidem f. 548. m. *Præterea offerimus tibi rationalem hunc cultum &c. præcipuè pro Sanctissima immaculata super omnes benedicta Domina nostra Deipara & semper Virgine MARIA, ut verè dignum & justum est glorificare Te Deiparam, & semper Beatissimam, & penitùs incontaminatam Matrem Dei nostri honorabiliorem Cherubim, & gloriosiorem incomparabiliter Seraphim quæ extra corruptionem DEum peperit verè Deiparam Te magnificamus. Ave gratia plena &c.* Item honorabiliorem Cherubim & gloriosiorem Seraphim incomparabiliter

Viden' Mayere, quomodo hanc Beatissimam Dei Parentem vocat. *Sanctissimam, immaculatam, super omnes benedictam.* Ergo & super Jeremiam & Joannem, de quibus Scriptura testatur, quòd in utero Matris sint sanctificati, adeòque Beatissima Virgo non tantùm sanctificata post peccatum originale, ut illi, sed & præservata ab illo. Vide quomodo *vocat semper Beatissimam, & penitùs* Expenduntur verba D. Chrysostomi pro Immaculata Conceptione B. V. M.

nitùs incontaminatam. Ergo & in prima Conceptione aliàs si vel unico illo instanti primo suæ Conceptionis fuisset labe originalis peccati fœdata, non fuisset verum id, quòd D. Chrysostomus aureo suo ore de illa protulit *Semper Beatissima*, nec *penitùs incontaminata*. *Sanctissima* item *immaculata, super omnes benedicta*, quia de illo instanti temporis quo originalis peccati labem incurrisset, verum fuisset dicere; pro illo instanti, vel pro illo quo concepta est tempore fuit in peccato originis, Ergo non fuit semper Beatissima: quia nemo beatus multò minùs beatissimus in peccato. Ergò nec *penitùs incontaminata*, *nec sanctissima*, *nec immaculata*, *nec super omnes benedicta*, quin fuisset, ut omnes ceteri mortales, pro illo instanti Conceptionis in peccato Adæ maledicta. Et quamvis supponeretur ab illo peccato purgata, seu sanctificata, nondum per hoc constitueretur *Super omnes benedicta*. Siquidem etiam Jeremias & Joannes fuêre in utero matrum sanctificati. Neque insuper *honorabilior Cherubim*, nec *gloriosior incomparabiliter Seraphim* rectè à S. Patre diceretur; Si enim anima illius vel unico instanti in Conceptione sua labem originalis peccati contraxisset, fuissent adhuc illâ honorabiliores Cherubim, & gloriosiores Seraphim, quia hi nullâ unquam peccati maculâ fœdati sunt. Neq; valet si dicas hæc omnia à S. Patre in laudem Divæ Virginis dicta ratione Maternitatis DEI. Etenim S. Pater absolutè prædicta omnia eidem attribuit: & sit ita sanè quòd respectu Maternitatis DEI sit *semper Beatissima*, *penitùs incontaminata, super omnes benedicta*, *honorabilior Cherubim* &c. Cur igitur respectu ejusdem Maternitatis non fuisset in primo suæ Conceptionis instanti à peccato originali libera? Si enim eò quòd Mater Dei esset futura, Deus etiam voluit eam esse *semper beatissimam*, *super omnes benedictam, honorabiliorem Cherubim*, *gloriosiorem incomparabiliter*

Ratione Maternitatis Dei decebat B. V. M concipi sine macula originali.

liter Seraphim cur non eapropter etiam voluisset in sua Conceptione à labe peccati originalis prorsus immunem? Imò si non voluisset immunem, haud possent è vero, & absolutè, ac simpliciter ea omnia encomia eidem attribui, quæ illi à S. Chrysostomo attribuuntur. Neque ad extremum id, quod dicit D. Chrysost. *citra corruptionem Deum peperisse*, verum foret: nam etsi in Cõceptione ipsius Christi D. non fuerit corrupta, sed semper Virgo ante, in, & post partum incorrupta permanserit: nihilominus tamen in sua prima Conceptione fuisset corrupta, si in peccato originali fuisset concepta. Adeòq; de illa verum fuisset dicere, illa quæ in sua Coceptione fuit corrupta peperit filium Dei. Consequenter verum esset dicere Christus Dominus habuit Matrem corruptam: Ex corrupta aliquando matre conceptus, & natus est Christus: Ex corrupta matre assumsit carnem: VERBUM CARO FACTUM EST ex carne corruptæ Matris &c. quod magnam inconvenientiam, & indecentiam supponit: Siquidem Scriptura sacra ait *Gloria hominis ex honore Parentum & dedecus filii Pater sine honore* Ecclesi. 3. v. 13. Decebat enim & Patrem æternum Filio suo prædestinare, ac Filium Dei eligere atq; assumere, talem matrem; ex qua humanam carnem sumturus erat, quæ penitùs esset incorrupta, incontaminata, immaculata, atque ab omni peccato tam mortali, quàm veniali, tam actuali, quàm originali prorsus libera & immunis. Et quia id non erat impossibile, ut & omniscia sapientia DEI talem ab æterno inveniret, ac præideret, & ordinatissima voluntas ejus præordinaret & præeligeret, & Omnipotentia denique absolutissima talem in tempore crearet, ac produceret Matrem, pium, rationabile, congruum atque conveniens est sentire & credere, quòd de facto & Sapientia Dei talem sibi Matrem ab æterno adinvenerit, & voluntas prædestinaverit, & omnipotentia in tempore creaverit. Quod

B. V. Deiparam etiam in primo instanti Conceptionis suæ incorruptam esse decebat.

Imaculata Conceptio illius non repugnat Div. Sapientiæ nec voluntati nec omnipotentiæ.

Nec muneri Redemtionis Christi D.

Quod ipsum nec muneri Redemtionis Christi repugnat, cùm enim aliorum omnium hominum sit Redemtor curativus, poterat suæ Matri ex speciali gratia, & extraordinario privilegio sese præservativum exhibere, ut ita sibi dignam se Matrem efficeret, qualis nec sapientiæ, nec voluntati, nec Omnipotentiæ Divinæ repugnabat; imò qualem non efficere, nec habere Matrem Filium Dei omninò dedecebat, ut immaculatissimam Matrem cùm posset & sapientia invenire, & voluntas eligere & omnipotentia creare, id tamen de facto haud fecisset.

Nec effato Pauli omnes in Adam peccaverunt.

Neque verò id etiam D. Paulo effato *Omnes in Adam peccaverunt* contrariatur; id enim verum est de iis, qui in Adam tanquam in capite, quoad originale peccatum vel innocentiam comprehendebantur. Jam autem congruum & decens erat, ut benedicta Virgo MARIA per singulare & extraordinarium privilegium à Christo Domino Filio suo eximeretur ab hac comprehensione seu continentia in Adam, idque propter titulum & dignitatem Maternitatis Dei excellentissimam, quâ è mente S. Chrysost. atque aliorum SS. PP. & Doctorum Ecclesiæ supra omnem rationalem creaturam tam humanam quàm Angelicam à Deo est evecta.

A communi lege mortis exempta velut Esther.

Et sanè invenit tantam gratiam Regina Esther apud Regem Assuerum ut ei dixerit. *Non morieris, non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est* c. 15. 13. Adeòque à communi aliàs lege singulariter sola Esther exempta fuerit. Cur non & benedicta filia Patris, Mater Filii, Sponsa Spiritus S. eam gratiam invenisset apud Deum, ut DEus eam ab universali illa lege mortis ob esum pomi in paradiso latâ per singulare privilegium eximeret, promitteretque ei. *Non morieris, non enim pro te Matre mea,*

sed

sed pro omnibus hæc lex constituta est. Angelus Gabriel os & Orator Dei inquit ad eam: *Invenisti gratiam apud Deum*, qualem & quantam gratiam? Talem & tantam, quali & quanta nulla inter mortales major dari puræ Creaturæ, nec apud Deum inveniri potest. Nempe gratiam Maternitatis Dei. Sequitur enim: *Ecce concipies & paries filium &c.* Quæ majorem gratiam invenit apud Deum, cur non invenisset minorem? qualis est immaculata conceptio respectu Maternitatis.

Egregiè hanc rem pertractant cùm alii Autores, tum Petrus Galatinus de Arcanis Catholicæ veritatis L.7. cap.3. & reliquis. Cap.6. ad fin. inter alios SS. PP. Græcos citat & D. Chrysostomum. Hanc opinionem de Immac. Concept. B. V. M. tanquam verissimam & indubitatam credidisse, aitque in ejus rei signum Festum de Immac. V. Concept. per annos ferè mille celebratum.

Audiamus jam SS. PP. quomodo supra omnem creaturam rationalem vi & titulo Maternitatis Dei evectam agnoscant, & inprimis D. Chrysost: quidem Homil: in Hypopante Domini apud Jodocum Coccium Thesauri Cathol. Tom. 1. lib. 3. p. 264. quam etiam citat Metaphrastes, legitur etiam in officio Romano infra octavam Festorum B. M. V. quarta die in secundo Nocturno: ita ait. *Magnum revera Virgo hæc mundi miraculum est. Ecquid enim in rerum universitate queat hac majus & sublimius inveniri? Sola hæc cœlum & terram amplitudine superavit. Quidnam illa sanctius? non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Patres, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Cherubim, non Seraphin, non aliud deniq; quippiam inter creatas res visibiles aut invisibiles unâ hâc majus aut excellentius, inveniri potest.* Hucusque Chrysost.

B. V. Deiparam super omnes creaturas evectam agnoscit D. Chrysostomus.

B. V. M. miraculum mundi magnum.

Agnoscit & D. Gregorius M.

Idem verò confirmat & D. Gregorius M. in Lib. 1. Reg. cap. 1. *Potest montis nomine Beatissima semper Virgo MARIA Dei genitrix designari, Mons quippe fuit, quæ omnem electæ Creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit*, & paulò post. *Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo MARIÆ super omnes Sanctos refulsit.*

Agnoscit & D. Augustinus.

At audiamus & D. Augustinum manifestius ex Augustissima dignitate Maternitatis Filii Dei inferentem B. V. M. ab omni peccato immunitatem? Sic enim ait L. de Nat. & Grat. cap. 36. *Excepta S. Virgine Maria, de qua propter honorem* Domini *nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem: Unde enim scimus, quòd ei plùs gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum, hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos & Sanctas cùm hìc viverent congregare possemus, & interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? utrum hoc quod* Pelagius *dicit, an quod Joannes Apostolus? Rogo vos quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia Sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne unà clamâssent: si dixerimus quia peccatum non habemus nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Joann: c. 1. Quàm præclarè cum hac S. Aug. sententia consonat Concil: Tridentinum Sess. 5. in decreto suo de peccato originis, *Beatissimam & immaculatam Dei Genitricem comprehendere non esse suæ intentionis declarans.*

Lutherus agnoscit B.V.M. ab originali peccato præservatã titulo Maternitatis Christi.

Quid quòd ipse Lutherus ex Maternitate B. M. V. inferat ejusdem sine macula originali conceptionem: ita enim ait in Enarrat. seu Postilla in Epist. & Evang. Basileæ per Joannem Herongium An. 1546. mense Martii impressa fol. 375. p. 1. *Dignum etiam & justum erat hanc personam ab origi-*

originali peccato præservari, de qua Christus erat sumturus carnem, quâ omnia peccata superavit.

Paulò ulteriùs hanc materiam pertractavi, tum ut meo innumeris titulis Immaculatæ ac Pretiosissimæ Parenti Dei obstricto affectui indulgerem, meque illius, quam SS. adoranda ipsa Trinitas intimè adamavit, non amatorculum solùm, sed & amatorem contra Mayerum ejusdem osorem pleno ore, quantumvis omnium infimum ingenuè contestarer, cujus singularem incontaminatæ ac immaculatæ Conceptionis honorem etiam vitâ ac sangvine meo tueri ex animi voto paratum me exhibeo: tum ut vindicias mei S. Patris Chrysostomi Immaculatæ Deiparæ Conceptioni minimè repugnantis, quin eandem propugnantis contra juratum ejusdem hostem Mayerum palam orbi facerem. Tum denique ut eidem eique similibus omnem hâc in quæstione scrupulum eximerem, ad saniorem que mentem & sensum de Divæ hujus Virginis Dei Parentis Conceptione concipiendum reducerem. Quod cùm non humanæ sit industriæ, sed potiùs Divinæ *à Patre luminum* gratiæ, Tu ipsa Augustissima Regina cœli & terræ Mater Dei apud tuum dilectissimum Filium id impetrare digneris. Te proinde aureo Chrysost: ore alloqui pro colophone mihi liceat. *Ave igitur Mater, Cœlum, Puella, Virgo, Thronus, Ecclesiæ nostra decus, gloria & firmamentum assiduè pro nobis precare JESUM Filium Tuum & Dominum nostrum, ut per te misericordiam invenire in die Judicii, & quæ reposita sunt iis, qui diligunt DEum, bona consequi possimus, gratiâ & benignitate Domini Nostri JESU CHRISTI, cum quo Patri simul, & Sancto Spiritui gloria, honor, & imperium nunc semper in secula seculorum Amen.* Citato loco supra apud Jodocum Coccium.

Oratio D. Chrysostomi ad B. V. M.

CONTROVERSIA IV.

De Justificatione.

§. I.

STatus Controversiæ proponitur & componitur amicè Controversia. Hæc est illa Controversia, quâ certo ictu se corpetere, quâve quadrato agmine Tridentinos à se invadi, arroganter gloriatur Mayerus: ad cujus rei confirmationem adducit Canonem Concil. Trident. Sess. 6. Sed mutilum. *Si quis dixerit sola fide impium justificari, anathema sit.* Jam autem hic Canon. 9. ita sonat fusiùs. *Si quis dixerit impium sola fide justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari atq; disponi anathema sit.* Deinde falsò imponit justificationem *quadrato agmine* à Tridentinis Sess. 6. invadi, quid enim rectiùs, ac salubriùs de justificatione dici potest eâ doctrinâ quam Tridentini PP. posthumis reliquêre? Legisset sanè totam Sessionem, invenisset in illa cap. 1. *nullam naturæ, nullam legi vim tribui ad justificandos homines*: advertisset *ad dispensationem & Mysterium adventûs Christi cap. 2. & ad justificationem per illum solum cap. 3.* Incurrissent ei in oculos (ut cetera taceam) *quæ eandem justificationem concernunt. Modus item præparationis cap. 6. Quid sit & quæ causa ejusdem.* Tandem & hoc, pro quo tanquam pro aris & focis decertat, *nempe hominem gratis per fidem justificari*, didicisset ex cap. 8. quo nimirum sensu ex perpetuo Ecclesiæ consensu ea verba sint accipienda: sic

Mayerus Canonem Conc. Trid. nonum de justificatione mutilũ adfert.

Falsò imponit Trident: PP. quòd quadrato agmine invadant justificationem.

Doctrina Concil. Trident. de justificatione breviter attingitur.

sic enim loquitur. *Cùm verò Apost: dicit Rom. 5. Justificari hominem per fidem & gratis ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit & expressit*, ut scil. *per fidem ideò justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo Heb.* 11. *& ad filiorum ejus consortium pervenire: gratis verò justificari ideò dicamur quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur; si enim gratia est, jam non ex operibus; alioquin ut idem Apostolus inquit: Gratia jam non est gratia. Roman.* 11. *Eph.* 2 *Tit.* 3.

Quo sensu Apost: dicis nos gratis justificari per fidem explicatur à Tridentino Concilio.

Legisset hæc inquam Mayerus & doctrinam Tridentini Concilii meliùs percepisset, & eandem sincerius adduxisset & denique contra eandem ex Divo Chrysostomo temerè aciem haud instruxisset.

Etenim hæc est vera & genuina doctrina Concilii Tridentini & omnium Catholicorum de Justificatione: videlicet fidem justificare, tanquam *humanæ salutis initium, fundamentum, originem, & radicem justificationis*: Jam autem Spes, charitas DEI, & proximi, pœnitentia, ceteræque virtutes, suffragantur, cooperanturque fidei ad justificationem semel acceptam tum augendam, tum conservandam, tum denique per peccatum lethale amissam, iterum recuperandam. *Nam* ut inquit Trident. ibid. cap. 7. *Fides nisi ad eam spes accedat, & charitas neq; unit perfectè cum Christo, neq; corporis ejus vivum membrum efficit, quâ ratione verissimè dicitur fidem sine operibus mortuam esse. Jac.* 2. *Et in Christo JESU, neq; circumcisionem aliquid valere, neq; præputium, sed fidem, quæ per charitatem operatur. Gal.* 5.

Ipsa.

Ipsaque opera bona fidelium habent vim meritoriam non in se & ex se præcisè, quâ ab homine simpliciter procedunt, neque enim ut ait Concil. Trident: *propria justitia nostra, tanquam ex nobis propria statuitur.* Sed quâ ab homine fideli proficiscuntur, id est habente fundamentum, initium, & radicem justificationis, fidem; per quam Christo tanquam arbori bonæ implantantur, aut velut palmites sunt in vite, & à vite succum gratiæ trahunt, eidemque velut capiti membra junguntur. *Etenim ipse Christus JESUS* (verba sunt Tridentini) *tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influit*, adeò ut opera fidelis hominis bona sint & meritoria justitiæ, & vitæ, non in, & ex se, sed ex, & in Christo, & per Christum tanquam in capite, ac vite, causaque efficiente & meritoria omnis boni: quapropter dicere possunt cum Apost. *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus*, ut id ipsum fusiùs declarat Trident. ibid. cap. 16. Ac per consequens dicere possunt, operor ego, jam non ego, operatur verò in me Christus, illi enim operatio tribuenda cui & vita seu causa operationis vitalis.

Porro, tota hæc Controversia de Justificatione per fidem sic facilitari & decidi posset pro amica compositione partium. Atq; inprimis prænoscendum est, quòd Lutherus legendo cap. 11. ad Gal. vers. 15. ubi D. Paulus ait. *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi*, per τὸ *nisi* intellexit solam fidem, indeque sumsit libertatem, aut veriùs licentiam illi ad Rom 3. v. 27. *Arbitramur hominem justificari per fidem adjiciendi* τὸ *solam sine operibus* atque eodem sensu & alios textus ut Eph. 2. v. 9. Philip. 3. v. 9. intorquendi, ubi tamen nimirum in primo

Unde Lutherus sumsit occasionem in illo Rom. 3. 27. arbitramur hominem justificari per fidem adjiciendi to *solam*.

textu

textu non est *sola*, sed *nisi* id est *sed*: græcum enim ἐὰν μὴ respondet Hebræo אך id est *verum, verumtamen*, ut advertit hìc Cornel. à Lap. adeòque *nisi* est adversativum ob antithesin fidei & operum quam Paulus inibi facit. Deinde S. Paulus excludit hìc opera legis antiquæ, non autem opera legis novæ, Legis gratiæ, quæ fidem Christi suapte naturâ comitantur, & stipant tanquam individui comites & sodales jurati, præsertim spes & charitas, sed & ceteræ virtutes, quæ ex illa fluunt & nascuntur tanquam boni fructus ex bona arbore, aut filiæ ex matre.

Sed dato etiam non concesso S. Paulum inibi loqui de sola fide & de operibus novæ legis, tota hæc controversia sic amicè decidi posset. *Fides sola justificat sine operibus bonis.* hoc sensu, quia *sola est fons, origo, caput, radix, initium, primum quid in linea justificationis, fundamentumq́ salutis* & hoc concedimus non competere operibus bonis etiam novæ legis. Fides autem sola non justificat, hoc sensu, quasi præsupposito hoc fundamento, hac radice fidei ceteræ virtutes præsertim Theologicæ spes & charitas, aliaq́; bona opera à ratione justificationis excludantur, neq́; ad structuram, ut ita dicam, justificationis, & salutis nostræ cum fide unà concurrant. Etenim ad completam, perfectam, totalem, & adæquatam rationem justificationis & salutis etiam hæc requiruntur. Imò legaliter & ordinariè loquendo fides non justificat, quin implicitè saltem, & spes, & charitas justificet; cùm enim ex infideli, quis conversus & factus fidelis credit in Christum, & hac fide supponitur justificari, virtualiter saltem & implicitè (quanquam id etiam formaliter & explicitè fieri possit, fiatq́; ordinariè) etiam sperat, & diligit, quin & de præterita infidelitate pœnitet; hinc fit ut etiam partialiter

Amica Compositio Controversiæ de Justificatione.

Sola fides justificat tanquam fundamentum initiũ & radix justitiæ & salutis.

Ceteræ autem virtutes præcipuè spes & charitas tanquã complemẽtum, perfectio, ac consummatio justitiæ & salutis.

ter hæ virtutes ac bona opera concurrant ad rationem justificationis & salutis, ad rationem, inquam, adæquatam completam seu perfectam justificationis, quantumvis ratio originis, initii, & fundamenti maneat penes solam fidem. Quod vel exinde manifestè patet, quia sine his virtutibus ratio justificationis esset imperfecta & incompleta, adeoque nulla; quia *bonum* ut dicimus in scholis, *ex integra causa, malum ex singulis defectibus*. Etenim si infidelis convertendus, solum actum fidei in Christum exerceret, & nullo modo vellet elicere actum spei, aut si eliceret quidem actum spei unà cum actu fidei, charitatis tamen nollet elicere, vel etiam nollet detestari præteritam infidelitatem, de illaque pœnitere, talis nullo modo justificaretur, nec fieret verè fidelis plenè & adæquatè justificatus, neque illi quidquam prodesset ad justificationem, credere solùm, & non sperare nec amare Christum, nec pœnitere de præterita infidelitate ceterisque peccatis. Quod ipsum inde patet: Justificatio enim infidelis, est quædam aversio ab infidelitate ceterisq; peccatis quæ secum trahit illa, & conversio ad Deum incommutabile & summũ ac infinitum bonum. Hæc autem ut sit vera & salvifica, debet esse totalis, completa, adæquata & perfecta; talem enim Deus requirit ab hominibus, quod ipsum designant repetita sæpe in Scriptura verba: ut *diligamus, quæramus, serviamus Deo ex toto corde & ex tota anima &c.* Deut. 4. v. 29. 6. v. 5. 10. v. 12. 11. v. 13. 13. v. 3. 26. v. 16. 1. Reg 7. 1. &c. Matth. 4. v. 11. Totalis autem non potest esse, nisi sit secundùm totalitatem animæ rationalis. Totalitas autem animæ rationalis dicit & intellectum & voluntatem. Si igitur fieret conversio ad Deum per solam fidem, fieret solùm secundùm unam partem, ut ita dicam, animæ, nimirum

Justificatio infidelis debet esse totalis completa & perfecta conversio ad DEum.

mirum intellectum, quia fides tenet se penes intellectum, fides enim est lumen seu donum supernaturale, quo intellectus illustratus firmiter assentitur, & adhæret objecto à Deo revelato, adeóque esset hæc per solam fidem conversio partialis; ut igitur sit totalis & completa seu perfecta, requiritur ut conversio sit ad DEum etiam secundùm alteram partem animæ, nempe voluntatem; tunc autem secundùm voluntatem etiam erit, quando voluntas etiam id quod suum est aget, nimirum actum spei, & charitatis præcipuè eliciet. Hi enim actus seu motus animi tenent se penes voluntatem, voluntatis enim est sperare in infinita bonitate, misericordia & fidelitate Dei in promissis, & amare Deum summè & infinitè bonum, atq; amabilem &c. Quodsi igitur sola fides eliciatur in Christum ab infideli, & non eliciatur saltem implicitè & virtualiter etiam spes & charitas; non erit tunc infidelis illius conversio totalis, adæquata, & perfecta, quia non erit secundùm alteram animæ partem, quæ totalitatem animæ ingreditur scilicet secundùm voluntatem; Quodsi non erit perfecta & totalis conversio ad DEum, neque erit perfecta & totalis justificatio. Ergo à primo ad ultimum ad perfectam adæquatam & totalem justificationem requiritur non tantùm fides, sed & reliquæ virtutes spes & charitas. Saltem, ut dixi, virtualiter & implicitè, ut scilicet convertendus infidelis, vi præsentis conversionis, si interrogaretur, an non tãtùm credat, sed etiam speret in Christum, illumque ex toto corde amet? paratus sit hìc & nunc respondere, spero, amo, &c. Quodsi non esset paratus id respondere, sed potiùs oppositum, nimirum non spero, non amo; illius conversio, adeóque & justificatio nulla foret: quia scilicet

Per solam fidem solùm est secundùm intellectũ.

Per spem autem & charitatẽ est etiam secundùm voluntatẽ.

Si infidelis solam fidem habeat & non habeat spem & charitatem saltem, conversio erit solùm secundùm intellectum & non secundùm voluntatem adeóq; non erit totalis & perfecta conversio consequenter non totalis justificatio.

licet non esset totalis & perfecta, ob defectum ejus, quod ad rationem totalitatis & perfecti requiritur, nimirùm ex parte voluntatis spei & charitatis actus. Siquidem, ut dictum bonum, seu perfectum ex integra causa, malum ex singulis defectibus.

Totus hic discursus in compendiū redigitur.

Brevissimè igitur dico fides sola justificat sine operibus *tanquam fons, origo, radix, initium, fundamentumq́, justificationis, & salutis*, & hoc concedit Concilium Tridentinum, omnesq́ue Catholici, ut supra vidimus. Fides non sola justificat, *tanquam complementum, & consummatio justitiæ*, sed etiam spes, charitas, utpotè ad completam, adæquatam, totalem, & perfectam rationem justificationis, & salutis requisitæ; & hoc ipsum dicit, & docet Concilium Trident. atque Catholica Ecclesia. In quo si consentiant Adversarii, uti meritò consentire debent, omnis cessabit controversia, paxq́ue erit unica summis anteponenda bonis. Etenim quidquid adversarii adducunt ex S. Scriptura pro *sola fide* justificante, id hoc solùm evincit, quòd fides sola *tanquam initium, fundamentum, & radix* justificet: Quidquid verò adfertur ab Autoribus Catholicis ex Scriptura S. pro justificatione non solius fidei, sed & operum, id hoc solùm probat, quòd illa opera ad *completam, adæquatam, & totalem, ac perfectam rationem justificationis* requiratur: & hoc sensu censendus est D. Jacobus dixisse, *fides sine operibus mortua est.* &c: Et D Paulus, *Si charitatem non habeam, etsi fidem habeam &c. Nihil sum, &c.*

Quo admisso ab Adversariis omnis cōtroversia cessat circa justificationem.

Quanquam & illud hic notandum est quomodo hæc propositio, *Fides sola sine operibus bonis justificat* seipsam implicet. Etenim non est dubium quin ipsa fides sit opus bonum, quod etiam agnoscit S. Paulus 2. Thess. 1. 11.

Ipsa fides est opus bonum.

ipsam fidem vocans *opus fidei*: [illegible] est opus bonum, ergo fides sine bono opere absolutè & simpliciter loquendo non justificat, quia alias justificaret sine seipsa. D. Chrysostomus quoque ipse fidem vocat opus bonum ut inferius dicetur. Nisi fortè dicas, quòd dum doceas fidem justificare sine operibus, te loqui de operibus distinctis à fide: sed & sine his eam haud justificare completè & totaliter hic ostenditur.

Sed descendamus tandem ad allegationes Mayeri pro sola fide justificante absolutè & simpliciter sine operibus ad perfectionem, & complementum justitiæ & salutis, requisitis: adducit autem ex Tomo 4. tres.

§. II.

Respondetur ad allegationes Mayeri.

1. Locus est ex Epist. ad Roman. cap. 3. m. f. 26. *Quæ porrò fidei lex est? per gratiam servari, hoc loco potentiam Dei ostendit quòd videlicet non servavit solùm, sed & justificavit, & in gloriationem duxerit operum quidem nihil indigens, sed fidem tantùm exigens.* Ubi Mayerus totam vim ponit in his duabus voculis, *fidem tantùm*, sed hæ minimè illi patrocinantur. Lege enim totum contextum verborum, videbis quia S. Doctor nihil agit de operibus novæ legis, sed legis antiquæ, quòd scilicet nihil operum antiquæ legis, per novam sublatæ à Judæis & gentibus conversis ad Christum exigat Paulus, & eum explanans Chrysostomus, nisi tantùm fidem in Christum, quæ utique ut dixi, est *initium, fundamentum*, & *radix justitiæ, & salutis.* Dixit enim paulò ante. *Is enim* (Christus) *sic fide salutem affert quasi illa omnia,* (Supple legis veteris opera) *refutata, jam & convicta forent.*

Opera legis antiquæ ad justificationem minimè conducunt.

ubi etiam ex D. Paulo apertè redarguit fiduciam, & gloriationem Judæorum supra Gentes ex operibus legis. Quod ipsum tum ex hac hom. 7. tum ex anacephaleosi illius ad finem patet. Ait enim: *Tria igitur hic demonstravit* (Paulus) *& quòd sine lege fieri potest, ut justificeris, & quòd hoc non potuit ipsa lex, & quòd fides cum eadem lege non pugnat.* De operibus igitur hic legis veteris agit S. Pater.

Quo sensu Paulus dicat hominem justificari tantùm per fidem.

2dus Locus est ex Ep. ad Gal. cap. 2. m. f. 4. 17. *Scientes quòd non justificabitur homo ex operibus legis, sed tantùm per fidem JEsu Christi.* Hæc verba non sunt Chrysostomi sed D. Pauli, ubi hoc solùm notandum, quòd illa S. Pater non legat, ut in vulgata leguntur, etenim in vulgata pro τo *sed tantùm* habetur *nisi*. Utrumque autem idem ferè sonat. Hac tamen lectione Chrysostomus non adstruit fidem tantùm justificare absque operibus, legis gratiæ, sed absque operibus legis scriptæ: id enim manifestè & Pauli contextus & Chrysostomi expositio loquuntur. Et insuper ex superabundanti dato, quòd per fidem tantùm justificetur homo, intelligendum id de fide, in quantum est *initium, fundamentum, radix*, non in quantum dicit rationem *totalitatis, completionis, perfectionis.* Sic enim & alia bona opera requirit, præsertim spem & charitatem.

Quo sensu S. Chrysost. dicat fidem justificare solam.

3tius Locus est ex epist. ad Tit. c. 1. hom. 3 f. m. 699. *Si enim credis fidei? cur alia infers? quasi fides non sufficiat justificare sola, quid teipsum spontaneæ subjicis servituti, & legis jugo collum submittis?* Circa hunc locum notandum imprimis in Græco textu non haberi *sola* ut Franciscus Aretinus in hac Antverpiensi editione advertit. Sed etiamsi hæc vocula *sola* addatur, nihil officit nobis.

nobis. Etenim etiam hìc loquitur S. Doctor de sola fide in quantum fidem Christi per antithesin opponit legi scriptæ Mosaicæ, non autem legi gratiæ & Christi: quod ipsum ex ipsis D. Pauli tam antecedentibus quàm consequentibus verbis clarum fit, & ex ipso contextu expositionis S. Doctoris: nam postquam exposuisset illa S. Pauli verba. *Infirmos in fide suscipite, &c.* Et consequentia *non attendentes Judaicis fabulis*, quibus scilicet volebant legem Mosis conjungere cum fide in Christum, tum primùm præcitatam sententiam adfert, *si credis fidei, &c.* Denique explicatum est supra quomodo fides sola justificet, scilicet tanquam *initium, fundamentum, radix, &c.*

4. Locus est ex Tom. 5. Serm. de fide & lege nat. m. f. 375. *Nullus sine fide vitam habuit, Latro autem credidit duntaxat & justificatus est à misericordissimo DEO. Atq; hìc ne mihi dixeris defuisse ei tempus, quo justè viveret & honesta faceret opera, neq; enim de hoc contenderim ego: Sed illud unum asseveraverim, quòd sola fides per se salvum fecerit.* Hic jam bone Mayere, ut tua in teipsum insulsa verba regeram, *miserum te homuncionem*, Idiotam non Magnum *Rabbi* vocandum declarâsti, luce clariùs meridianâ, sentiasq; velim te ipsum non Heidelbergerum, aut Tridentinos P.P. *è pharetra Chrysostomi soricinâ* (verba tua sunt) *næniâ confossiorem fieri*, qui hunc locum pro te adduxeris, contra nos, quo temet ipsum tanquam de industria directo in te telo configeres; Apparet te hunc locum haud legisse, sed ab alio malæ fidei homine citatum, tumultuaria manu & calamo descripsisse. Scito igitur D. Chrysost. hoc sermone in æqua lance ponere fidem & opera, ita illam extollit, ut hæc non deprimat, ita illam

Locus ex S. Chrysost. à Mayero citatus militat contra ipsummet.

admis-

admittit ad salutem necessariam, ut hæc non rejiciat. *Fidem tamen summum opus* appellat, eique tribuit id, quod supra etiam à nobis concessum, rationem *principii* & *fundamenti.* Affirmat item *opera sine fide nulla, nec fidem sine operibus aliquam esse.* Agnoscit quidem illos, qui foris sunt, i.e. extra Ecclesiam posse operibus pietatis, ut apparet, conspicuos esse. *Invenies, ait, viros misericordes, compatientes, justitiæ vacantes: sed nullos facientes fructus operum, quia nescierunt opus veritatis, nam & hæc sunt opera bona: Atq; necessarium est, ut præcedat opus summum;* (id est *fides*, hocque ipsum porro declarat) *Enim verò cùm olim Judæi dicerent Domino, quid faciemus ut operemur opera DEI Joann. 6. Respondit eis, hoc est opus DEI, ut credatis in eum quem misit ille. Vides quomodo fidem opus vocavit? Igitur quàm primùm credideris, simul & operibus ornatus eris.* &c. Laudat deinde fidem *quòd faciat Civem Cælorum, DEO familiarem: nihil extra illam bonum, eosq; qui bonis operibus florent, & Deum pietatis ignorant, similes* ait *reliquiis mortuorum, pulchrè quidem indutis, sensum autem pulchrorum non habentibus &c. Non oportet quidem,* ait, *nudam ab operibus esse fidem, ut ne vituperetur. Verùm tamen sublimior est fides, quàm opera* (quia scilicet, ut anteà dixit, est *primum opus* seu *principium, fundamentum, radix, materq;* operum bonorum, ut dixi supra) comparatq; *fidem vitæ animæ, quæ præcedere debet in homine, actum enutriri, ita* ait, *necessarium est ut præcedat vitam nostram Spes.* (*Spes* credo ponitur hoc loco pro *fide* aut in quantum juncta fidei utpote radici & primo operi ut colligere est ex antecedentibus, & ex intentione S. Patris fidem hìc & nunc extollentis) *quæ postea pascenda bonis operibus &c.* Opus quidem anima habet ut operibus alatur, ante opera tamen fides indu-

Fides opus summum.

Quod præcedere debet.

Fides facit Civem cœli, Deo familiarem.

Non debet esse nuda ab operibus.

Fides cõparatur vitæ animæ quæ præcedit.

Pascitur & aliturpostea bonis operibus.

inducenda est. (En quàm apertè fidem dicat esse initium, & quid antecedens opera) Tum ostendit, quòd is *qui habet opera justitiæ, sine fide vivus non sit*, fidelem autem absq; operibus vixisse, & cœlum assecutum esse commonstrat in Latrone: *Atqui hic* (per præoccupationem tacitè occurrit objectioni) *ne mihi dixerit defuisse ei tempus, quo justè viveret & honesta faceret opera, neq; enim de hoc contenderim ego, sed illud unum asseveraverim, quòd sola fides per se salvum fecerit illum.* Et hic est scopus tuus Mayere ubi trophæa contra nos erigis, & hic est simul scopulus, ubi te cum vanis aut verius nullis trophæis tuis alliso, nos vera & certiora erigimus. Eccur enim non adduxisti sequentia S. Doctoris verba, quæ multam præsenti rei adderent lucem, nimirum incorruptum veritatis testem verebaris, ne falsitati tuæ bonum, quem merebatur, impingeret colaphum. Audi igitur falsariè veridicum Doctorem? *Nam si supervixisset* (Latro) *fideiq; & operum fuisset negligens à salute excidisset.* Audi quid S. Doctor effatur nimirùm Latro per singulare & extraordinarium privilegium & gratiam Jesu Christi, sola fide, sine operibus, quibus exercendis ei non suppetebat tempus vixit aliquamdiu, & Cœlorum regnum assecutus est. At numquid omnibus datum est adire Corinthum? Numquid omnes fideles Latroni huic similes? nisi fortè velis, ut ille fuit, omnes esse Latrones. Quisquis igitur in vitâ suâ *fideiq; & operum negligens fuerit*, à salute excidit. Hoc verò ipsum & Latroni evenisset si in ulteriori vita sibi prorogata utrumq; neglexisset. Vides igitur quomodo S. Pater fidem & opera in æqua ponat lance? quomodo utrumque ad salutem necessarium requirat? neutrum excludat, contra te qui solam fidem requiris, excludis opera.

Latronem sola fides salvũ fecit.

Qui si supervixisset, fideique & operum fuisset negligens à salute excidisset.

Æque igitur fidem atque opera ad salutem requirit D. Chrysostomus.

Conclu-

Concludam tandem locum hunc verbis ejusdem S. Patris, qui postquam dixisset, quòd hic & nunc quæstionem moverit, an scilicet aliquando fides per se ipsam salvum fecerit? idq; ita factum esse in Latrone demonstravit: opera autem sola per se scilicet sine fide nullos unquam operarios justificârunt: quod & nos ultrò cum S. Patre asserimus, quodq́ue opera sine fide non vivificent, probavit exemplo Cornelii Act. 10. tandem concludit. *Oportet igitur & ante opera lucere fidem, & fidei pedissequa esse opera, & ne quis fidem propter sterilitatem, & neq; opera propter incredulitatem vituperet. Esto igitur Oliva fructifera sed in Domo Dei, interpretandum enim est de operibus esse olivam fructiferam, de fide autem esse in Domo Dei. Quæ autem sunt opera omnes scimus, si operari volumus* &c. Ubi ulterius pergit describere S. Doctor opera bona fidelium.

Fidei pedissequa opera.

Oliva fructifera in domo DEI fidelis operator bonus.

Tu verò bone Mayere ad hoc mentem & oculos haud advertisti, sed solùm livore plenos conjecisti in Indicem librorum prohibitorum expurgatorium, quo ex Indice Frobejanæ Chrysost. editionis deleri jussa sequentia. *Fides sola à justificato requiritur: fidem solam salvare* &c. similia. Quæ omnia, quia in pravo & hæretico sensu ab aliquibus accipiebantur, ideò facilè concesserim ea meritò deleri jussa. Si autem in sano & Orthodoxo, qui supra explicatus, accipiantur, non inficiabitur quisquam rectè sentientium, ut integra maneant; nempe rectè dixeris, Fides sola *tanquam initium, fundamentum & radix justitiæ ad justificationem requiritur.* Fidem solam *tanquam radicem salutis salvare*: Secùs si dixeris Fides sola *tanquam complementum, & consummatio justitiæ* ad justificationem requiritur, sola *tanquam complementum salutis* salvat. Etenim ad complementum, & perfectionem, atq; consum-

Quo sensu in Indice librorũ prohibitorum hæc verba sola fides salvat &c. deleri jussa?

consummationem totalem Justificationis & salutis etiam ceteræ virtutes præcipuè spes & charitas requiruntur, ut supra dictum, & infra probabitur.

Tandem Epiphonema quo Tu Mayere concludis hanc quæstionem in te ipsum brevi conjiciam, *postquam tibi oculos expunxero* (ut tua phrasi utar) disertis apertisvè Chrysostomi testimoniis, qui cum Ecclesia Catholica sentit ad justitiam & salutem præter fidem etiam opera fidem consequentia requiri; nam de his est quæstio, non de operibus antecedentibus, ista enim sine ulla controversia per nos à justitia formali & salute excluduntur. Et imprimis quidem id disertè asserit in locis à te ipso adductis, & jam immediatè à nobis discussis. In primo enim apertè ait. *Hoc loco eos qui animum perferendis tentationibus despondering erigit*, & post pauca *ostenditq; non oportere fiduciam omninò sitam in ipsa fide sola habere, nam illud Prætorium & facta ipsa examinat:* nimirum si cum fide simul & operibus bonis comparueris in illo Judicii Divini Prætorio, recipies mercedem, salutem & vitam æternam; si autem solam fidem operibus vacuam attuleris, nihil plenum & totale attulisti, adeòque *ibis Homere foras*, recipiesque æternam damnationem, quia *appensus in statera inventus es minùs habens*, Daniel. 5. v. 27. quam illud Prætorium requirit. *Etenim* edicente Paulo *omnes nos manifestari oportet ante Tribunal CHRISTI ut referat unusquisq; propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum*. 2. Cor. 5. v. 10. *Opera enim illorum sequuntur illos*. Apoc. 14 13.

Fiducia in sola fide non est reponenda. Prætorium Divinum etiam facta examinat.

In 4. Loco etiam à te citato, dum ait, quòd *si Latro supervixisset, fideiq; & operũ fuisset negligens à salute excidisset*, agnoscit manifestè non tantùm fidẽ, sed & opera bona in

fideli ad salutem requisita; quod ipsum confirmat, quando concludit illis verbis suam doctrinam: *Oportet igitur ante opera lucere fidem, & fidei pedissequa esse opera. Esto igitur oliva fructifera &c.*

Hoc ipsum ex aliis quoq; ejusdem locis manifestè deducā.

§. III.

Ad justificationem & salutem non solam fidem, sed & bona opera necessaria esse, probatur ex S. Chrysostomo.

Fides origo justitiæ, religionis fundamentum, &c.

Primum & princeps testimonium sit Tomo 4. ser. de fide, spe, & charitate m. *f.*293. *Est enim fides origo justitiæ, sanctitatis caput, devotionis principium, religionis fundamentum.* Vide quomodo Tridentini PP. planè in verba Magistri hujus jurâsse videntur, cùm eandem fidem iisdē planè verbis vocant *initium, fundamentum, radicem*, h. e. *originem, & caput*, hæc enim idem denotant ut supra dictū. Tandem verò pluribus adhuc verbis initio hujus sermonis laudare prosequitur. Postmodum verò ad spem descendit, quam etiam multis encomiis extollit. *Dictum est igitur, licet pauca de fide, de spe quoq; aliqua prosequamur, spes est futuræ pollicitationis religiosus assensus, promissæ gloriæ devota intentio, Sanctorum destinata sublimitas, bonorum exspectatio futurorum* &c. *Quæ duo*, id est, fides & spes, *ita certa sibi mutua vice conjuncta sunt, ut altera sine altera stare non possit.* Vide quomodo S. Pater idem planè asserat, quod nos supra docuimus, fidem semper supponere saltem implicitè & virtualiter & spem, ita ut hac absente illa nullo modo subsistere queat. Hujusq́ue pulchram S. Pater dat causam. *Quidquid enim fides credendo acquirit, hoc spes sustinendo præsumit &c.* Ubi etiam agnoscit rationem meriti in bono opere, quale est pœnitentia & tolerantia. *Exiguū sentis, sed immensum est quod mereris, modicum pateris, sed æternum est quod regnabis.* Agnoscit quoq́ue non fidem sed spem

Spei encomia.

Fides & spes mutua vice indissolubiliter conjuncta sunt.

Tolerantia exigui immensum meretur.

ſpem eſſe ſalutis, conſummationem ſeu complementum ut diximus ſupra. *Fides*, ait, *gloriam inchoat, ſpes suſtinendo consummat: Illa fundamentum ponit, hæc ipsum hominem conſtruit: Illa dat principium, hæc Chriſtianum perducit ad ſummum: Illa initia credulitatis aggreditur, hæc ad consummationem virtutis meditatur.* Vides quàm diſertè idem planè loquitur verè aureè os aureum, quod nos, ſcilicet fidem eſſe, fundamentum, initium, inchoationem virtutis juſtitiæ, ſalutis, gloriæ: Spem autem perfectionem, conſummationem, completionem. *Nec quisquam* ait idem *poterit fidei fructum percipere, niſi qui ſpei gloriam voluerit conſummare: ut enim ſine fide ſpes non habet firmitatem, ita ſine ſpe fides non poteſt habere mercedem*, en indiſſolubilem nexum fidei ac ſpei agnoſcit. Tandemque deſcendit etiam ad charitatem, quæ etiam ad complementum & conſummationem juſtitiæ & ſalutis requiritur, idque vel maximè dicente Apoſtolo. *Major autem horum eſt charitas. Sanè ſi fides* ait, *eſt religionis fundamentum, & ſpes conſummat ac perficit ædificium, quomodo Apoſt: dicit charitatem eſſe majorem, quæ ſine fide & ſpe non poteſt habere firmitatem?* Reſolvit S. Doctor hoc ipſum dubium, ex eo principatum charitati attributum ſupra fidem & ſpem ab Apoſtolo; quia, ut idem Apoſt. ibidem docet, *Fides & ſpes ceſſat, ſola autem charitas manet* etiam poſt mortem in vita æterna. *Tunc* enim ait Chryſoſtomus *jam quod credatur non eſt, quia quod credebatur adeſt: Tunc quod ſperabatur ceſſat, quia quod ſperatum eſt præſens eſt, ſola charitas æterna eſt, quia cum Deo in Sanctis eſt; & ideò major.* Hæc autem ipſa charitas eſt ſimul conſummatio, perfectio, complementumque ut ceterarum virtutum præcipuè Fidei, ſpei, tum & juſtitiæ ſalutisq; æternæ. Deniq; ait Chryſoſt: *Nullũ chariſma ſine charitate perfectum* eſt,

Spes cõſummatio fidei.

Cur charitas major fide & ſpe à S. Paulo dicatur?

Sola charitas æterna, ideò major fide & ſpe.

Charitas consumatio & perfectio omnium charismatum.

est, nullum donum sine dilectione aptum; quidquid enim charismatis aut doni quisq; meruerit, desertũ charitate non stabit. Omnia enim quæ S. Spiritus devotis aut impartit, aut donat, aut charitate perficiuntur, aut sine charitate effectum nusquam sortiuntur. Deniq; ipsum Martyrium sine charitate impleri non potest, licet charitas sine Martyrio sola perfecta sit. Idq́ue S. Doctor confirmat verbis S. Pauli. *Si lingvis hominum & Angelorum loquar &c. charitatem autem non habeam nihil sum.*

Sine charitate Martyrium ipsum impleri nequit.

Ubi incidenter noto quàm consentientes sint sibi SS. Patres. Etenim S. Augustinus similiter agnovit, charitatem esse perfectionem & complementum cum fidei, tum aliarum virtutum etiam Martyrii, quando ait de verbis Domini serm. 50. eadem S. Pauli verba præcitata explanans. *Ecce venitur ad passionem, ecce venitur & ad sangvinis effusionem, venitur & ad corporum incensionem, & tamen nihil prodest, quia charitas deest. Adde charitatem prosunt omnia, detrahe charitatem nihil prosunt cetera.* Pulchrè item inquit Tomo 10. serm. 61. de verb. Dom. *Multùm interest utrum quisq; credat ipsum esse Christum, & utrum credat in Christum. Nam ipsum esse Christum & dæmones crediderunt, nec tamen in Christum dæmones non crediderunt. Ille enim credit in Christum, qui & sperat in Christum, & diligit Christum. Nam si fidem habeat sine spe ac sine dilectione, Christum esse credit, & non in Christum credit. Qui ergo credit in Christum, credendo in Christum veniet in eum Christus, & quomodo unitur in eum, & membrũ in corpore ejus efficitur. Quod fieri non potest, nisi & spes accedat & charitas.* Consentit & D. Gregor. M. hom. 27. in Evang: *Quidquid præcipitur in sola charitate solidatur, ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multæ virtutes ex una charitate generantur:*

Consensus Patrum de charitate consummante fidem ceterasque virtutes. Divi Augustini. Gregorii M.

Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis. Charitas ergo est per S. Chrysostomũ ultimum quoddam complementum & consum̃atio fidei, spei, ceterarumq́ue virtutum, utpote quæ ipse Deus est, *Deus charitas est* teste Joan. 1. Ep. 4. *Charitas enim*, ait *Chrysost. est quæ fidem & adjuvat, & spem sibi sociat, & utramq; secum DEO muneranti assignat*, &c. Ultimoq́; S. Pater ad omnes has tres virtutes, indivisibiliter exercendas & habendas pulchro Auditores exhortatur eloquio. Ex hoc igitur Testimonio S. Patris luculentissimè patet non solùm fidem ad justitiam, & salutem æternam requiri; sed etiam spem & charitatem, & hanc quidem vel maximè: fidem quidem requiri tanquam initium, fundamentum, & radicem, ac originem; spem autem, & charitatem tanquam perfectionem, consummationem, & completionem, justitiæ, & salutis.

Huc spectat ex Tom. V. totus sermo de charitate m. f. 312. in quo probat, quòd *charitas cuncta dirigit & perficit;* quem brevitatis causâ omitto.

Veniamus jam ad alia Testimonia S. Patris in quibus manifestè asserit solam fidem sine operibus haud sufficere ad justitiam & salutem.

2 Testimonium est Tomo 1. Homil. in Ps CXVIII. m. f. 666. *Horum* ait, *verborum levavi manus meas ad mandata tua, hæc sententia est, per manus quippe actiones subindicantur: Dixit enim Apost: non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur, Rom. 2. & rursus fides sine operibus mortua est. Jac. 2. & opera sine fide, ac propterea Dominus quoq; dicebat: omnis qui audit verba mea & non facit ea similabitur viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam, &c.*

Per manus actiones indicantur.

Factores legis justificantur.

Qui non audit verba Christi assimilatur viro stulto.

Non sufficit fides nisi adsit vitæ instructio.

3. Testimonium est ex eodem Tomo f. 442. in Ps. 111. ad illa verba *Intellectus bonus omnibus facientibus eum; Non sufficit enim fides, nisi adsit etiam vitæ institutio fidei conveniens*: Et paulò post: *Non quærit autem hìc solum auditorem, sed factorem: intellectus enim bonus omnibus facientibus eum, hoc est iis qui faciunt sapientiam, & eam factis ostendunt bonus est intellectus.*

Fides cordis non sufficit ad salutem sine confessione oris, & contra.

Etiam Confessio bonorum operum requiritur.

4. Testimonium est Tomo 2. in c. Matth. 10. m. f. 374. Fusè differit *fidem cordis non valere, nec sufficere ad salutem sine confessione oris, nec confessionem oris sine fide cordis, nec solùm, hanc cordis & oris, sed etiam sensuum tam internorum animæ, quàm externorum corporis confessionem, scilicet per bonas actiones requiri.*

5. Testimonium est ex Tomo 2. in Psalm. 142. m. f. 525. ubi operum necessitatem agnoscit, *non dixit* ait *absolutè doce me voluntatem tuam, sed doce me facere voluntatem tuam h. e. ad ipsa facta me deduc.* Ubi etiam adverte

In opere salutis non merè passivè & otiosè nos habemus.

Chrysostomum cum Ecclesia Catholica agnoscere, quòd nos in opere salutis & justitiæ non merè otiosè, passivè, & quasi inanime quoddam habeamus, nihilq; omninò agamus: sed etiam à Deo motum & excitatum liberum arbitrium nostrum cooperetur assentiendo Deo excitanti, ut docet Concil. Trid. Sess. 6. Can. 4. ait enim *supernâ enim ope & cœlesti doctrinâ opus est, ut ingrediamur viâ, quæ ducit ad virtutem, non nobis in otio degentibus, sed quæ sunt nostra conferentibus.* Tandem audi, quomodo opera bona dilaudat. *Quia Deus meus es tu. Vide spirituales ejus petitiones, non enim de pecuniis, potentiâ, & gloriâ, sed ut Dei faciat voluntatem in ejus petitione agitur, quod quidem est omnium bonorum thesaurus & opes, quæ nunquam deficiunt, principiumq; & radix felicitatis, & medium & finis.* En

Voluntatem DEI facere est omnium bonorum thesaurus.

quot

quot elogia? quot præconia operis boni? quod fit impletione voluntatis Divinæ.

6. Testimonium est Tom. 2. in Matth. c. 23. hom. 45. m. f. 433. *Omnes homines aut Judices sunt, sive spirituales sive mundiales, aut sub Judicibus sunt, & omnibus generaliter hominibus tam Judicibus, quàm his qui judicantur duo hæc necessaria sunt ad salutem fides & opera bona.* Quid clarius?

Omnib9 hominibus duo hæc necessaria sunt ad salutem fides & bona opera.

7. Testimonium Tom. eodem in c. 7. Matth. hom. 19. m. f. 361. differens de infideli benè operante, interrogat illum *propter quid faciat bonum? an propter retributionem regni cœlestis, an propter judicium pœnæ?* respondetque *non propter hoc secundum, quia non timet Deum, quomodo enim* inquit, *timeat Deum, ne peccet in opere, qui non timet Deum, ne peccet in fide? cùm sit pejus malè credere, quàm malè agere? non etiam propter primum, quia non sperat in Deum, qui non curat utrum mendaciter credat, an verè, cùm sit meliùs benè credere, quàm benè agere.* Hujusq; ipsius dat rationem. *Quoniam fides sine operibus aliquid est, etsi mortua est; opus sine fide nihil est,* ex eo scilicet, quia non est meritorium gratiæ & gloriæ, quia radix meriti fides mortua est, per peccatum scilicet lethale.

Fides sine operib9 aliquid est, etsi mortua, opus sine fide nihil est.

8. Testimonium Tom. eodem in Matt. c. 3. hom. 4. m. f. 19. declarat *hic fidelem non ex sola fide neq; solo baptismate, sed etiam ex moribus, novitate vitæ, operibus bonis dignosci debere.*

Fidelis nõ ex sola fide, sed & ex bonis operib9 dignoscendus.

9. Testimonium Tom. eodem in Marc. hom. 11. m. f. 514. *Nihil prodest* ait *habere te verba, habere scientiam, si non habueris opera.*

Nihil prodest habere scientiam, si non habueris opera.

10. Testimonium Tom. 3. hom. 9. in Joan. m. f. 19. *Ad animæ puritatem servandam, non satis est baptizari duntaxat & credere, sed si perpetuò eâ frui munditiâ & pulchritudine volum9*

dignam se vitam exhibere oportet. Quod ipsum ex Matth. 25. de illo qui ingressus nuptias carens veste nuptiali, & Matth. 22. de quinque virginibus fatuis confirmat, ad tandem addit. *Nolimus igitur nolimus dilectissimi inquam Fidem nobis ad salutem satis esse existimare. Nam nisi vitam puram exhibuerimus, & hac cœlesti vocatione digna non induerimus vestimenta, quibus ad nuptias admittamur, nihil nos eripiet, quin eodem quo miser ille afficiamur supplicio.*

Solam fidē ad salutem satis esse non existimandum.

11. Testimonium Tom. 3. homil. 30. in Joan. m. f. 55. *Nunquid ergò satis est ad vitam æternam in Filium credere? minime. Non enim omnis inquit, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum Cælorum Matth. 7.21. & peccatum in Spiritum Sanctum, vel solum, est satis quod in gehennam detrudat. Et quid de Patre loquor? Nam si in Patrem, & Filium, & Spiritum S. rectè credideris, non autem rectè vixeris, nulla tibi ad salutem utilitas. Cùm ergò dicit ipsa est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum Joan. 17. Nolimus hoc nobis ad salutem satis arbitrari, opus namq; nobis est, & vitæ & morum honestate pollere. Et licet hoc in loco dicat, qui credit in Filium habet vitam æternam, nec bona tantum, sed suppliciorum quoq; formidinem proponit, quòd qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum, non tamen dicimus satis esse solam fidem ad salutem, quòd quæ de vita in Evangelio sæpe dicuntur, ostendunt; Cur enim non dixit ipsa est vita æterna solum, neq; qui credit in Filium solum habet vitam æternam, sed in utroq; esse vitam significavit? nam nisi mores sequantur, sequitur supplicium.*

Si rectè credideris & non rectè vixeris nulla tibi ad salutem utilitas.

Sola fides ad salutem non est satis.

12. Testimonium est Tomo 4. Comment. in Epist. ad Rom. supra cit. *Hoc loco eos*, ait, *Paulus qui animum perferendis tentationibus despondenrint, erigit*, & post pauca, *ostendiq; non oportere fiduciam omninò sitam in ipsa sola fide habere, nam illud Prætorium etiam facta ipsa examinat.* 13.

D. Paulus eos, qui animum in perferendis tentationibus despon derunt, erigit.

13. Testimonium est Tomo eodem in epist. ad Philem. hom. 2. m. f. 711. *Oro inquit Paulus, ut societas fidei tuæ efficax sit, vides antequam gratiam postulet majorem longè ipse præstiterit, ut inquit Societas fidei tuæ efficax sit, in agnitione omnis boni quod in vobis est, in Christo JEsu, hoc est ut omnem virtutis speciem impleas, nihilq; tibi deesse patiaris. Ita enim fides efficax est, si habeat opera, non sine operibus fides mortua est Jac. 2.*

Fides efficax est si habeat bona opera.

14. Testimonium est Tomo eod. in epist. ad Thess. 1. c. 1. hom. 1. m. f. 575. probat *fidem ostendi per opera.* Explicans illud *sine intermissione memores operis fidei vestræ. Num ergo fides per opera ostenditur? meritò quis dixerit eam non absolutè, sed per opera ostendi, per instantiam, per animi alacritatem,* &c.

Fides per opera ostēditur.

15. Testimonium Tomo eod. in Epist. ad Hebr. hom. 7. m. f. 734. *Fides est res magna & salutaris, & absq; ea fieri non potest ut salvi simus, unde ideò Paulus eos quoq; admonet, qui jam sunt dignati mysteriis dicens. Festinemus ingredi in illam requiem festinemus inquit, ingredi, ac studeamus, utpotè quòd fides non sufficiat, sed etiam debeat vita adjici, & magnum adhiberi studium. Revera enim multo opus est studio ut ascendamus in cœlum.*

Fides non sufficit sed etiam debet vita adjici ut in illam requiē ingrediamur.

16. Testimonium Tomo eodem in eandem Epist. hom. 20. m. f. 765. apertè probat, *quòd baptizatus si non facit bona opera in gehennam mittitur. Nam ait postquam Christus plantavit & spiritualem percepimus irrigationem, deinde nullum fructum ostenderimus nos exspectat ignis gehennæ, & flamma, quæ non potest extingvi:* & paulò post. *Opus est inquit* (supple Paulus) *bonis operibus opus est, & valde opus est.*

Eum qui nullum fructum boni operis ostēdit expectat ignis gehennæ.

L 17. Te-

17. Testimonium Tomo V. hom. 5. ad Pop. Antioch. quæ est de afflictione Job. & Ninivitarum m. f. 22. *Si Christianus es, Christo crede! Si Christo credis per opera mihi fidem demonstra? Quomodo verò per opera fidem demonstrabis, si mortem contemnas?*

Christiano per opera fidem demonstrare debet.

18. Testimonium Tomo eodem Homil. 22. m. f. 77. de Pœnitentia, Continentia, & Virginitate. *Quid secundùm mentem Christi talia pro nobis passi perficere possumus? Sis igitur planta fructuosa ut Deum laudes, pro viribus tuis fructifica, si non potes perfectum ferre fructum, unum centum, saltem dimidium unum sexaginta: si verò & hoc tibi grave, vel tertium perfecti unum, triginta: tantum quod potes fructifica, ne velut infructuosus in ignem immittaris.*

Quisq; pro viribus fit planta fructuosa.

19. Testimonium Tomo I. hom. de Anna & educat: Samuelis m. f. 228. *Professio autem non tantùm fit per fidem, verùm etiam per opera, adeò ut si hæc absint, veniamus in periculum, ne cum abnegantibus pœnam luamus. Neq; enim est unus abnegandi modus, sed multi ac multiplices, quos Paulus nobis describens ita loquitur, profitentur se nosse Deum, sed factis negant. Tit. 1. 16. Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior. 1. Tim. 4.* & iterum fuge *avaritiam, quæ est Idolorum servitus.*

Professio fit non tantùm per fidem sed & per opera.

20. Testimonium Tom. III. Serm. admonitorio de Eucharistia in Encæniis m. f. 382. *Non satis fuerit simpliciter & vulgariter Christianos homines dici nos. Ejus rei si placet adhibeo fide dignum testem fratrem Dei Jacobum dicentem, fides sine operibus mortua est Jac. 2. ergo ubiq; opus est mandatorum operatione. Nam illa absente neq; Christiani hominis appellatio nobis prodesse poterit, & ne mireris; quid enim dic mihi lucri habes miles, quando in exercitu es, nisi & dignè pro Rege milites?*

Non satis vulgariter nos dici Christianos homines.

Non prodest appellatio hominis Christiani absente operatione mandatorum.

21. Testi-

21. Testimonium Tomo I. in Psal. 48. m. f. 369. Cùm ostendisset quòd *post hanc vitam nos nec amicitia, nec pecunia, nec potentia, nec cognatio, nec aliquid ejusmodi defendet, sed sola opera bona eleemosynæ, clementia, in pauperes munificentia*, id ipsum probat. *Nam quòd nec cognatio, nec familiaritas quidquam prodest absq; factis audi quid dicat Propheta: Si steterit Noe, & Job, & Daniel, filios suos & filias suas non liberabunt*. Ezech. 14. & post pauca, postquam idem probâsset exemplo Samuelis, Jeremiæ, Mosis, etiam Pauli Rom. 10. quærit, *quid ergo? suntne supervacaneæ eorum preces? Nequaquam, sed magnas etiam virtutes habent, quando tu quoq; eis auxilium tuleris*. Quod probat exemplo Petri & Tabithæ Act. 9. aitq;. *Ita Sancti alios adjuverunt orantes, & hoc quidem hic ubi saltandum & luctandum est*: tandemque concludit. *Illic autem nihil horum, sed est ex solis factis salus*. En hìc ait *ex solis factis esse salutem*, id porro ita intelligendum quod tamen non excludat fidem, sed hac præsupposita tanquam fundamento & radice, ex solis factis completè & ultimatò esse, seu consummari, ac perfici salutem: qui S. P. sensus facilè colligitur ex collatione, præcitatorum aliorum locorum testimoniis.

Post hanc vitam nos nihil, nisi sola bona opera defendent.

Ex solis factis salus.

22. Testimonium Tomo 2. de Lazaro Conc. 4. m. f. 547. *Multis* ait *verbis demonstravimus, quòd posteaquam Deus multam humanitatem nobis exhibuit, oporteat in propriis benefactis spem salutis collocare, non Patres, Avos, non Proavos recensere &c*. Paucis interjectis de divite Epulone, ait: *Unde perspicuum est, quòd neq; nos quidquam illic sublevabit, si non habuerimus bona opera*. Quàm apertè S. Pater in propriis benefactis etiam spem reponendam esse, ait: Spem inquam quâ cuique sperandum, quòd cùm facienti quod

In propriis benefactis spem salutis collocare oportet.

in se est DEUS non deneget gratiam, idem benignissimus Dominus cum gratia ejusdem benefacta exercenti salutem sit collaturus. Unde etiam S. Pater ait illic haud quidquam nos sublevaturum, si non habuerimus bona opera: etenim *opera eorum sequuntur illos* id est fideles, ait, Joannes in Apoc.

Talia itaque & his similia reperias in Sancto Doctore de bonis operibus, & fide, justificationeque ac salute æterna, per hæc consequenda, quibus manifestè declarat se veritatis Ecclesiæ Catholicæ esse assertorem. Adeò ut ipsi Magdeburgici rigidi SS. PP. totiusque Antiquitatis venerandæ Censores Cent. 5. cap. 5. asserant *Chrysostomum bonorum Operum Encomiasten.* Quare liceat mihi regerere in te Mayere Epiphonema, quo hanc controversiam concludis. *Quid nunc agendum gloriose miles?* Confitere ingenuè te veritati haud consentaneè locutum, & Tridentinos nunquam *parricidas, qui Patrem hunc fulmine percusserint,* ut tu eis falsò impingis, exstitisse, & Chrysostomum non *fide-solarium* ut tu ais, sed *fide-operarium* esse: fidem operibus, opera fidei sancto fœdere indissolubiliter innectentem. Accede potiùs ad tantum Patrem, festina & ad S. Matrem Ecclesiam, veniam pete, & deprecare & hanc, & illum, quibus turpe crimen falsi imposuisti. Sic enim & fidem Orthodoxam ac salvificam amplecteris, & opus bonum, quia saluti tuæ summoperè conveniens facies, & salutare ad extremum cum eisdem vinculum inibis, ad æternam animæ Tuæ salutem.

D. Chrysostomus non fide-solarius, sed fide-operarius.

CONTROVERSIA V.

De Confessione auriculari.

Confidit Mayerus se etiam hanc expugnaturum ex S. Patre, atq; inprimis adducit Conc. Trid. Sess. 14. Can. 6. 7. 8. quibus docetur *Confessionem Auricularem summè*

esse necessariam, ad impetrandam remissionem peccatorum, idq; institutam jure Divino, ab Ecclesia Catholica ab initio semper observatam, nec impossibilem neq; solum modo traditionem esse humanam &c. Huic sententiæ & doctrinæ Catholicæ opponere vult velut è diametro S. Patrem, adducitq; ea, non quæ ipse in eodem diligenti studio perscrutatus est, (si enim hoc fecisset S. Doctoris mentem assecutus tandem fuisset.) Sed *quæ*, inquit, *collegit Sixtus Senensis Pontificius Scriptor* Biblioth. S. L. 5. Annot. 175. P. 490. m. f. 424. *iis se omni levatum labore* sibi, aliisq; persuadere nititur. Sed longè sese res aliter habet. Nam inprimis, si eam quam ibidem Sixtus adducit circa hæc loca Annotationem & ipse allegâsset, lucem suis affudisset tenebris. Eo enim loco adnotat S. Patris testimonia citari à Calvino in Institut. & à Lutheranis, pravo sensu, idq; demonstrat ex Magistro Sentent. L. 4. dist. 18. & ex Sozomeni histor. trip. L. 9. cap. 35. Remitto Lectorem ad eundem Autorem.

Nos interim ex ejusdem S. Patris mente ad prædicta testimonia hæc adnectimus Adversario. Imprimis in sex illis quæ adferuntur locis, imò & in aliis pluribus quæ non citantur S. Doctor ne unico quidem verbo Confessionem peccatorum singularem, seu privatam coram Sacerdote aut reprehendit, aut rejicit, tanquam malam & refellendam: quod tamen debuisset fecisse, si verum foret id quod dicit Mayerus, eum *suæ contra nos causæ patrocinium suscepisse.* Sed solùm, ait, de confessione publica, in præsentia hominum, coram testibus, ut confitentis peccata audiantur à circumstantibus, ejusmodi videlicet confessionem vult S. Pater non esse adhibendã à qua nim: propter recens exorta scandala abhorrebat. Sed potius confessionem & contritionẽ peccatorũ internã in consciẽtia, in animo atq; in cõspectu Dei, Domini, & Judicis omniũ, ad hanc scil. sine testibus, non in cõmuni theatro, non in foro, corã solo DEO

Confessionẽ privatã corã Sacerdote non reprehendit S. Chrysost.

Sed solùm Confessionem publicam coram testibus.

peragendum, rubore, & confusione omni, quam testes & præsentia hominum causare possent, abjectâ, prolixè, ut solet, hortatur. Et hanc quidem etiam Ecclesia Catholica tanquam salutarem admittit, ut videre est in Concil. Trident. dicta Sess. 14. c. 1. cùm dicit: *pœnitentiam universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinâssent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessariam*, hæcque ordinariè præcedere debet illam confessionem privatam coram Sacerdote vulgò ab adversariis auricularem, quod ad aurem fiat, dictam. De hac accipienda sunt de pœnitentia generaliter dicta Luc. 13. 3. Actor. 2. 38. aliisque locis. Ad hæc quoad primum locum homil. 4. de Lazaro in Luc. c. 16. ubi dicitur: *Cave enim homini dixeris, ne tibi opprobret*, rectè advertit Autor Annotationem Editionis Antverp. quam præ manibus habeo, *hunc locum Catholicis*, ait, *opponunt Hæretici, Confessionem sanctam oppugnantes, quibus tametsi probè respondent illi, tamen si ad verbum è Græco conversus esset, minus videretur adversari, sic enim ex Græco ad verbum verti debet.* Μὴ γὰρ ἀνθρώπῳ λέγεις ἵνα ὀνειδίσῃ σε· μὴ γὰρ τῷ συνδούλῳ ὁμολογεῖς, ἵνα ἐκπομπεύσῃ. &c. Id est: *Num enim homini dicis, ut te probro afficiat? Num enim conservo confiteris, ut in publicum proferat. Imò qui ei Dominus est &c. At interpres sic effert, quasi homini minimè confiteri vetet Chrysostomus, quod non est fidei interpretis.* Hucusque Autor. Deinde non advertis Mayere citatis à te testimoniis S. Doctorem te ipsum, tuamque novam & in cerebro Lutheri primùm natam doctrinam vehementer ferire. Etenim si DEO soli tanquam medico ostendenda vulnera? si non ducendus ad theatrum conservorum peccator? Si sine testibus, si ante

S. Chrysostomus potius Confessioni Lutheranæ repugnat,

si ante DEUM solum peccata confitenda? Eccur igitur tu Mayere unà cum Lutheri asseclis ceteris Prædicantibus exigitis à vestris hominibus, ut non solùm coram DEO, sed etiam coram vobis compareant? ut quid requiritis ab eis ut certâ formulâ confessionem peccatorum in communi faciant? ubi illa à Christo Domino, ubi ab Apostolis, ubi à Chrysostomo præscripta? imò in aliquibus locis & cathechismis præsertim antiquioribus etiam in particulari, eorum præcipuè quæ conscientiam gravant, enumerationem ad aures vestras injungitis? Eccur confessionalem nummum vulgò Beicht-pfennig à Pœnitentibus exigitis? ubi Scriptura, aut Chrysostomus cum vobis pendi jubet? ubi vos docet certâ formulâ pœnitentibus peccata aut dimittere, aut dimissa à DEO denuntiare? ubi indicat ceremoniam imponendarum manuum eisdem, quam adhibetis, in dicta dimissione aut denuntiatione? hæc nimirum & sexcenta alia vobis liberum est hodie constituere è vestro proprio genio & ingenio pro liberæ scilicet, aut veriùs licentiosæ vestræ fidei libertate, & non liberum est Ecclesiæ Romanæ Catholicæ ea exercere, quæ Ecclesia in tot Regnis, Regionibus, terris, à tot populis, tot seculis, tanta antiquitate, tanta universalitate, tanta consensione observavit & tenuit. Et non est hoc festucam in oculo Ecclesiæ notare, trabem verò in proprio non videre?

Præterea cùm S. Doctor Confessionem coram solo Deo probat non reprobat Confessionem coram ejusdem Vicario Ministroq; Sacerdote, clavium commissam sibi potestam habente. Exigit nimirum S. Pater Confessionem *sine testibus*, qui scilicet ad hoc pœnitentiæ Prætorium, seu judicium, & tribunal non spectant. Non vult

confiteri

Confessio non facienda conservo Laico. Sed Vicario & Ministro Christi.

confiteri peccata conservo, scilicet Laico, sibi simili, non habenti potestatem & jurisdictionem clavium. *Vulnera medico DEO ostendenda* ait, at hoc fit etiam cùm ostenduntur ejusdem Medici Vicariis, Ministrisq; subordinatis, ad quos dictum: *Quidquid solveritis super terram erit solutum & in cœlis* &c. Adeò ut quidquid Sacerdos agit in administratione Sacramentorum v.g. Pœnitentiæ, de qua hic, id non suâ propriâ, sed Dei Vicariâ, subordinatâ, & instrumentariâ potestate tanquam Minister Christi & *Dispensator Mysteriorum Dei*, 1. Cor. 4.1. agere censendus sit. DEus enim est primaria & principalis causa omnium Sacramentorum, gratiarumque ac fructuum eisdem alligatorum: Sacerdos verò secundaria & instrumentaria. Quod quidem apertè agnoscit S. Chrysost: inprimis de Pœnitentiæ vinculis seu clavibus. Tom. 4. Comm. in epist. ad Hebr. c.2. hom. 4. ante fin. m f. 729. *Ignoscite & nemo contemnat vincula Ecclesiastica, non est enim homo qui ligat, sed Christus qui nobis dedit hanc ligandi potestatem, & efficiens, ut homines in sua potestate habeant tantum honorem.* Idem agnoscit de Cœna D. seu Eucharistiæ Sacramento Tom. 2. in hom. 83. in Matth. m. f. 275. *Non sunt humanæ virtutis hæc opera, qui tunc in illa Cœna hoc confecit, ipse nunc quoq; eadem operatur, Ministrorum nos ordinem tenemus, qui verò hæc sanctificat & transmutat, ipse est.* Ubi etiam transmutationem seu transubstantiationem agnoscit. Quod etiam specialiter de Sacramento Baptismi agnoscit S. August. Tract. 6. in Joann: ante medium ubi ait, *quòd quamvis Petrus, Paulus, Judas baptizet, tamen dici debet hic est scilicet Christus qui baptizat.* Cùm igitur tum aliorum Sacramentorum, tum pœnitentiæ secundaria, subordinata, & instrumentaria sit causa Sacerdos; Christus

In Sacramentorum administratione ea quæ Sacerdos agit Christus D. agit.

Ut in Pœnitentia in Sacerdote Christus ligat.

In Cœna Domini in Sacerdote Christus sanctificat & transmutat.

In Baptismo similiter in Paulo, Petro, &c. Christus baptizat.

ſtus D. autem ſit primaria, ita ut quidquid agat Sacerdos in pœnitentia, Chriſtus id agat ſeu liget, ſeu ſolvat Sacerdos, Chriſtus ligat & ſolvit; conſequens eſt, quòd qui Sacerdoti confitetur peccata, quæ nimirum liganda vel ſolvenda ſunt, ea ipſa confitetur in perſona Sacerdotis, ipſi Deo & Chriſto. Adeòque quando D. Chryſoſt. docet Confeſſionem faciendam eſſe non coram teſtibus, non in theatro hominum, coram ſolo DEO, non rejicit confeſſionem Catholicam privatam coram Sacerdote faciendam, quia talis confesſio de facto fit *ſine teſtibus*, non *in theatro hominum*, fitque coram ſolo Deo, quia coram ejus Vicario, locumque, vices, ac *poteſtatem* ejus quoad *Eccleſiaſtica vincula* tenente. Vicarius autem ſeu locum tenens cenſetur de Jure cum eo, cujus locum tenet, facere unam perſonam. Unde ſicut D. Chryſoſt. ait *non eſt homo qui ligat ſed Chriſtus*, ita dicam, *non eſt homo qui audit confesſionem ligandi peccati, ſed Chriſtus, qui ei dedit hanc poteſtatem* &c. Porrò ut agnoſcas Mayere S. Doctorem perpetuum veritatis Cathol. aſſertorem etiam quoad præſentem de Confesſione particulari, & privata, ſeu auriculari vulgò dicta, coram Sacerdote Controverſiam, adfero ea de re in medium, aliquot ejusdem teſtimonia.

Confesſio peccatorũ Sacerdoti fit in perſona ejus ipſi Deo & Chriſto.

Primum Teſtimonium ſit, quod paulò ante adduximus Tomo 4. in Epiſt. ad Hebr. &c. Ubi cum expreſsè nominet *vincula Ecclesiaſtica*, fateaturque quòd *in Sacerdote liget Chriſtus, quodq́; à Chriſto hæc ligandi poteſtas Sacerdoti data ſit* &c. agnoscit confesſionem privatam corã Sacerdote faciendam; fruſtra enim eſſet illa *poteſtas ligãdi* Sacerdoti data, ſi illi non adferretur id quod ligandũ foret; poteſtas enim hæc ligandi dicit ordinem ad id, quod ligari debet, & poteſt, nimirum peccata & delicta. Ut igitur Sacerdos poteſtate ligãdi aut ſolvendi utatur, debent eidem delicta ſeu peccata per cõfesſionẽ ſubjici, ut ligentur, aut ſolvantur.

Vincula Eccleſiaſtica, poteſtas ligandi non poſſunt eſſe ſine confesſione privata & particulari peccatorum.

> Conſuetudo confitendi in hebdomada S. tempore S. Chryſoſtomi.

2. Tomo 1. Hom. 30. in Gen. m. f. 91. meminit confeſſionis, quæ in hebdomada ſancta ante feſtum Paſchæ fieri debet. *Quia*, inquit, *in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratiâ nunc maximè & jejunii curſus intendendus, & magis continuandæ ſunt preces, faciendaq; diligens & pura confesſio.* Ubi S. Patrem de Confeſſione privata Sacerdoti facienda locutum eſſe probat Bellarm. de pœnit: L:3. c. 9. tum ex eo, quòd aliis locis id non tacuit, ut hic probatur; tum quòd ejusdem conſvetudinis meminerit Gregorius Niſſ. Epiſt. Can: ad Epiſc. Mytilenſem, qui cùm diſertis verbis docuerit Sacerdoti confesſionem eſſe faciendam, dubitari non poteſt, quin etiam Chryſoſtomus σύγχρονος ejusdem hoc aſſerit.

> Confesſio peccatorum abolitio eſt delictorum.

3. Tomo eodem Hom. 20. in Gen. m. f. 52. *qui hæc fecit ſi voluerit, ut decet, uti conſcientiæ adjumento, & ad confesſionem facinorum feſtinare, & medico oſtendere ulcus, quod curet, & non exprobret, atq; ab illo remedia accipere, & ſoli ei loqui, nullo alio conſcio, & omnia dicere cum diligentia, facilè peccata ſua emendabit. Confesſio enim peccatorum abolitio eſt etiam delictorum.* Ubi cùm S. Doctor abſolutè nominet Medicum, non addendo Medico ſummo Deo ulcus oſtendendum eſſe, cenſendus eſt non ſolùm ipſum Deum, ſed & Sacerdotem ejus Vicarium intellexiſſe: cui ut ſupra dictum agnoſcit datam eſſe à Chriſto poteſtatem ligandi, idque ibi ait, quod Sacerdos ligat, ligare Chriſtum *efficiens ut in ſua poteſtate habeant homines tantum honorem.* Simile quid in præſenti ſub nomine Medici dici poteſt ſcilicet qui ſacerdoti Medico ulcus peccati oſtendit, oſtēdit illud chriſto, & quod ulcus medic9 Sacerdos curat, illud idem curat Chriſt9, qui poteſtatem hanc curandi dedit Sacerdotibus, *efficiens ut in poteſtate ſua homines habeant*

> Sacerdos eſt medicus in Confesſione peccatorum vulnera curans.

beant

beant tantum honorem. Et eam quidem mentem S. Patris colligo ex iis quæ sequenti testimonio adfero. Sic igitur.

4. Testimonium Tomo v. Lib. 2. de Sacerdotio m. f. 199. *Quam ob rem multa quidem arte opus est, ut qui laborant Christiani, ultrò sibi ipsi persuadeant, Sacerdotum curationibus sese submittere oportere, neque id solùm sed ut etiam curationis ac medicinæ nomine gratiam illis habeant.* Ubi in hac similitudine Medici & curationis persistens, ostendit, quomodo sese in hac spirituali curatione & infirmus, & curator medicus gerere debeat, scil. nec ille debet *contumaciter resistere curationi aut admonentis verba ferri modò secantia neglectum transmittere.* Neque hic infirmum *blandiùs tractare, cujus affectum corpus sectione eaq; magna indiget, aut nulla ex parte parcere volens debitam adhibere sectionem: aliàs fiet sæpè ut animum ille doloris impatientiâ despondens, atq; adeò omnia simul detrectans, tum pharmacum, tum vinculum, seipsum præcipitem ferat contrito jugo, ac confracto laqueo.* Idque ipsum S. Pater confirmat exemplo & experientiâ. *Equidem* ait *complures recensere possem, quos constat in extrema mala adactos non ob aliud, nisi quòd digna ab eis pœna, & quæ peccatis perpetratis par esset exigeretur, neq; enim temerè ad delictorum modum oportet & mulctam ipsam adhibere, sed tanquam conjecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus, ne quâ fiat, ut dum consuere vis quod interruptum est, scissuram deteriorem facias, ac dum eum, qui lapsus est erigere, atq; emendare studes, casus ipse major per te reddatur.* En quàm S. Pater apertè loquitur de Confessione particulari, privata, & vulgò dicta auriculari, coram Sacerdote, tanquam medico animæ facienda. Lege si placet eundem ulterius, ubi eandem materiam luculentiùs egregiè pertractat:

Quomodo se Sacerdos in hac curatione spirituali gerere debeat.

tractat: Ubi etiam Sacerdoti sub nomine Pastoris hanc instillat doctrinam. *Quocirca multa quidem opus est Pastori prudentia, sexcentis etiam ut sic dicam oculis, ut rectè undiq; animi humani habitum circumspicere possit,* & paulò post: *Itaq; nihil horum relinquendum est, quod probè excutiat atq; examinet Episcopus, quin omnia accuratè ac studiosè perscrutanda, tum demum illum oportet sua ipsius remedia congruè, aptè, accommodatè afferre, idq; ne operam fortè ludat.* Quò quæso hæc omnia à Sancto Patre dicta spectant? quàm eò ut accurata, diligens, ac pura, uti etiam antè dixit Testimonio 2. confessio peccatorum coram Sacerdote non illa Lutherana publica & in genere, sed privata & in particulari fiat.

Pastori multa opus est prudentia.

Episcopo omnia accuratè & studiosè per scrutanda.

5. Testimonium sit ex iis quæ Lib. 3. de Sacerdotio ad med. m. f. 203. tractat, in commendationem & laudem status, & autoritatis Sacerdotalis. *Etenim*, ait, *qui terram incolunt, atq; in ea versantur, iis commissum est, ut ea quæ in cœlis sunt dispensent, iis datum est ut potestatem habeant, quam DEUS Optimus neq; Angelis, Archangelis datam esse voluit: neq; enim ad illos dictum est quacunq; alligaveritis in terra erunt alligata in cœlo, & quacunq; solveritis in terra, erunt soluta in cœlo, Matth. 16. 19. & 18. 10. Habent quidem & terrestres Principes vinculi potestatem, verùm corporum solùm; id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atq; ad cœlos usq; pervadit, usq; adeò ut quacunq; infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac Servorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hæc aliud esse dicas, nisi omnium rerum cœlestium potestatem illis concessam.*

Sacerdotibus data potestas quæ neque Angelis neque Archangelis data.

Eisdem velut omniũ cœlestium rerum potestas data in verbo illo quorũmcunq; peccata retinueritis &c.

Quo-

Quorumcunque enim peccata retinueritis, retenta sunt, Joann. 20, 23. Quænam obsecro potestas hâc unâ major esse queat? Pater omnifariam filio potestatem dedit. Ceterùm video ipsam eandem omnifariam potestatem à Deo Filio, illis traditam. Nam quasi jam in cœlum translati, & super naturam humanam positi, atque nostris ab affectionibus exempti, sic illi ad Principatum istum perducti sunt. Quid multa? Rex aliquis, si cui ex subditis suis honorem hunc detulerit, ut potestatem habeat, quoscunque velit in carcerem conjiciendi, & quoscunque rursus laxandi, beatus ille & admirandus judicio omnium fuerit. At verò qui à Deo tantò majorem accepit potestatem, quantò cœlũ terrâ pretiosius est, quantò etiam animæ corporibus præstant, hic vilem eousque dignitatem accepisse nonnullis videri debet, ut vel in illorum cogitationem descendere queat, reperiri, quandoque posse unum aliquem ex eorum numero, quibus tanta illa, quæ paulò ante dixi, fuerint à Deo concredita? cui ipsi munus suum sordescat, quisque donum sibi à Deo datum despiciat? procul procul hinc fatescat, ejusmodi insania.

6. Testimonium sit, quod eodem immediatè citato loco adfert. *Corporis lepram inquit purgare, seu ut veriùs dicam haud purgare quidem, sed purgatos probare, Judæorum Sacerdotibus solis licebat, neque nescis, quantâ cum ambitione, quanto cum studio ac concertatione Sacerdotalis dignitas id temporis acquireretur. At verò nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. Quare judicio quidem meo, qui istos despiciunt, contemnuntque, multò sceleratiores atque majori supplicio digni fuerint, quàm fuerit Dathan unà cum suis omnibus.*

Iidem animæ lepram curant.

Confirmatur. Non est dubitandum S. Chrysostomum fuisse accuratum observatorem eorum, quæ Ecclesia à majoribus acceperat. Jam autem à majoribus Ecclesia D. Chrysostomi temporibus acceperat Confessionem coram Sacerdote. De hac enim manifestè testatur S. Cyprianus M. qui D. Chrysostomum præcesserat Epist. 75. Ubi inter alia. *Potestas ergo remittendorum peccatorum Apostolis data, & Ecclesiis, quas illi à Christo missi constituerunt & Episcopis, qui eis ordinatione vicaria successerunt.* Item serm. de Lapsis. *Confiteantur singuli quæso, Fratres delictum suum dum adhuc, qui delinquit, in seculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.*

Perpende jam Mayere quomodo S. Doctor & ex Matth 16. 19. & 18. 12. de clavibus solvendi & ligandi, & ex Numer. 16. 12. & sequ. probet Sacerdotum supereminentem Angelis ipsis & Archangelis potestatem & autoritatem in solvendo & ligando, curandave lepra: quæ utique præsupponit diligentem & accuratam confessionem peccatorum, ac velut lepræ monstrationem; Quo pacto enim ligaret? quo pacto solveret? quo pacto item lepram purgaret? Si quid ligandum, quidve solvendum, atque purgandum prorsus ignoraret? Certè ipsa Domini verba. *Si quid*, seu *Quidquid ligaveritis, si quid* seu *quidquid solveritis*, &c. denotant determinatè quidpiam quod in speciali seu particulari est solvendum, est ligandum ex parte Sacerdotis activè, adeòque denotant etiam quid in speciali & particulari ex parte pœnitentis in confessione passivè subjici debeat clavibus Ecclesiæ, ut scilicet solvatur, aut ligetur à Sacerdote: hæc enim sunt correlativa. Quid ad hæc Mayere? an non id est,

est, quod ex aureo ore S. mei Patris audisti (ut tua in te verba retorqueam, quibus hanc controversiam concludis.) *prævaricari & prodere* tuam desperatam *causam*, contra verò *patrocinari* Catholicæ eandemque *defendere*? Habes itaque etiam hic demonstratum D. Chrysostomum non Lutheranum, sed Romano-Catholicum esse.

CONTROVERSIA VI.

De Satisfactione.

§. I.

Unicus Locus ex S. Patre contra Satisfactionem Pœnitentialem adductus expenditur.

DUm Mayere Jesuitæ Heidelbergero, ut ajebas, satisfecisse tibi videbaris. satisfacere tibi ipsi haud poteras, quin satisfactionem præmissâ Confessione attingeres, attingeres, inquam, summis solùm ut ajunt, digitis, neque enim plenâ volâ eam te apprehendisse manifestè intento, ut fertur, digito, commonstrabo. Adducis ex S. Doctore locum Tomo 3. ex Orat. de B. Philogonio (seu Philegonio ut nostra impressio habet) *Ego testificor & fidejubeo fore, ut si nostrum quisque, qui peccatis obnoxii sumus, recedens à pristinis malis ex animo verèque promittat Deo se postea nunquam ad illa rediturum, nihil aliud DEus requirat ad satisfactionem ulteriorem &c.* *Hic locus* inquis, *tanta luce radiat, ut omnes offucias atque nebulas dispellat, quas Senensis aliàs offundere gestit L. 5. Biblioth. &c, frustraque adeò sit Lorinus qui Patronum illum cooptet* &c. Quin veriùs tuas Mayere offucias & tenebras, quibus S. hujus Doctoris Catholicæ Ecclesiæ conformem doctrinam

Controversiam de satisfactione Mayerus supremis solùm digitis attingit.

Ex uno solùm loco citato satisfactionem ad pœnitentiam haud necessariã probare contendit.

ctrinam involvis, ipſemet clariſſima luce dispellit, ut adeò nec Senenſis ullas nebulas eidem offundat, ut tu confingis,& Lorinus meritò eum patronum cooptet.

Nam inprimis (ut paucula circa annotationes, quas citas Viri eruditisſimi in paucis Sixti Senenſis, quem ſine rubore *in ruborem datum* aſſeris, attingam) non fideliter à te citatum eſſe patet: etenim Lib. V. Biblioth. annot. X. non habetur quidquam ex Chryſoſt: ſed ex Auguſtino ſupra illud *fiat Firmamentum* Gen. 1. ſed annot. 16. allegat Chryſoſtomi locum Hom. 6. in Gen: circa finem, & hunc quem tu citas de B. Philegonio. Verùm appoſuiſſes tuæ citationi ea quæ ille apponit, tum certè quisq; cordatus intellexiſſet non Senenſem doctrinæ D. Chryſoſtomi, ſed te potiùs unà cum Calvino & Oecolampadio offucias atque nebulas offundere voluiſſe, atque adeò te potiùs à Senenſi in ruborem datum, tuasque fallaces offucias manifeſtè diſpulſas. Quod ipſum ita ſe habere luce meridiana clariùs demonſtro adductis hic ejusdem verbis.

D. Chryſoſtomus à Calvino & Oecolampadio citatus contra ſatisfactoria pœnitētiæ opera expeditur.

„ Quam ſententiam, inquit ille, Joannes Calvinus „ Capite nono ſuarum Inſtitutionum contra ſatisfactio„ narios citat (ſic enim impius ille Catholicos, quòd ſatis„ factionem docent eſſe tertiam pœnitentiæ partem, ap„ pellat) & Joannes Oecolampadius Brigittanus quon„ dam monachus, recentium hæreticorum ſignifer, in „ codicibus Chryſoſtomi, à ſe translatis, è regione ejus„ dem ſententiæ in margine hæreticam objectionem ap„ poſuit in hæc verba; Si Deo ſufficit, ut deſiſtamus à pec„ catis: ubi manent ergò ſatisfactiones & indulgentiæ? „ Hujus inſanam percontationem in Autorem ipſum re„ torquentes vice verſâ interrogemus eum. Si Deo ſufficit,

„ ficit, ut à peccatis desistamus, nec ultrà satisfactionibus
„ & indulgentiis opus est: cur Chrysostomus ubiq; præ-
„ dicat satisfactoria pœnitentiæ opera? siquidem Homilia
„ in Matth. 10. ostendens, quòd non sufficiat à peccato de-
„ sinere, nisi per ea satisfaciamus, quæ perpetratis deli-
„ ctis adversa sunt, ait: *AGAMUS pœnitentiam, pœniten-*
„ *tiam dico, non solùm ut à malis prioribus desistamus, verùm*
„ *etiam ut bonorum operum fructibus impleamur. Facite, inquit*
„ *Joannes, fructus dignos pœnitentiæ, quo autem modo fructi-*
„ *ficare poterimus, si utiq; peccatis adversa faciamus? verbi*
„ *gratia, aliena rapuisti; incipe donare jam propria: longo es*
„ *tempore fornicatus; à legitimo usu conjugii suspendere, ac*
„ *perpetuam continentiam sæpius paucorum dierum castitate*
„ *meditare, neq; enim vulnerato sufficit ad salutem tantum-*
„ *modò spicula de corpore evellere, sed etiam oportet remedia*
„ *adhibere vulneribus &c.* Rursus Homilia in Psalmum 106.
„ quæ inter opera Chrysostomi fertur, ita scriptum est:
„ *Cùm peccatum attulit mortem, confessio affert sanitatem.*
„ *Confessio enim pœnitentiam monstrat: satisfactio veniam*
„ *sibi divina pietate conciliat?* Et infra sequitur. *PEJUS*
„ *EST DEI OFFENSAM NON SATISFACTIONE PLACA-*
„ *RE, quàm peccando DEI Bonitatem offendere*, & paulò
„ post. *Confessio reddat quod peccatum detraxerat: curet*
„ *pœnitentia, quod delictorum macula sordidârat; serpen-*
„ *tinum virus satisfactionis antidoto recuretur.* Hæc
„ Chrysost. pro cujus autoritate Oecolampadio respon-
„ dentes, dicimus sufficere quidem DEO, ut ad præstan-
„ dam nobis, tam culpæ quàm pœnæ æternæ remissio-
„ nem desistamus à peccatis jam Sacerdoti confessis: sed
„ manent satisfactiones & indulgentiæ ad expiandas pœ-
„ nas temporaneas; quibus ut sacræ literæ docent, post

Pejus est DEI offensam non satisfactione placare, quàm peccando DEI bonitatem offendere.

" condonata crimina, & æternam criminum pœnam, vel " in hac, vel in alia, adhuc sumus obnoxii. Videat hic cor- " datus Lector an Senensis *nebulas offundat* doctrinâ de sa- " tisfactione, & non potiùs dispellat, & simul de fide & ve- " ritate Mayeri judicium ferat. In Annot. quoq; 174. ne " quicquam doctrinæ de satisfactione nebulas offudit Se- " nensis. Etenim inibi ait Joan. Calvinum c. 9. Inst. abuti " sententiâ S. Patris ad evertendum satisfactorias pœnas, " refertque se se ad Annot. superius citatam 16. Libro quo- " que 6. Annot. 161. Sixtus adducit non Chrysost. sed Am- " brosium, eundem verò perbellè explicat ex Gratiano & " Magistro Sententiarum. Ex his igitur patet nullas te- nebras aut offucias à Senensi offusas esse doctrinæ de satis- factione, & Lorinum in Psal. citantem eundem non imme- ritò patronum cooptare. Et hæc sufficiant de Sixti Se- nensis allegationibus, jam veniamus ad ulteriorem truti- nam præcitati à Mayero loci.

S. Mysteria cum munditia animi adeunda. Exemplo Magorum tria munera offerenda.

Manifestè apparet te haud legisse totam hanc S. Pa- tris Orationem; dic enim mihi quid S. Doctor post medi- um ejusdem tractet? an non hortatur Auditorem ad *munditiam animæ*, ut cum illa dein adeat sacrosancta my- steria? Cùm enim dixisset, ut exemplo *trium Magorum tria munera Christo Domino in sacra mensa offeramus*: nimi- rum *aurum i. e. temperantiam & virtutem. Thus i. e. puras preces quæ sunt odoramenta spiritualia. Myrrham i. e. mode- stiam & cor submissum, cum eleemosyna &c. Certòq; se scire,* inquit, *futurum, quòd in illa die complures accedant, irru- antq; ad victimam hanc spiritualem, scilicet sine digna præpa- ratione. Id autem ipsum ut non fiat ad detrimentum & condemnationem animæ, sed ad salutem obtestatur, obsecratq;*

ut omnibus modis repurgent animas, atq; ita demum adeant mysteria. Occurritque tacitè objectioni aliquorum, qui se se fortè excusarent ab his mysteriis, *Conscientiâ peccatis oppletâ, sarcinamq; circumferente gravissimam:* respondetq; *sufficere nimirum horũ quinq; dierum tempus, si sobrius fueris, si attentus, si vigilaveris, si multitudinem peccatorum reddideris contractiorem, illudq; perpendendum, quòd benignus est Dominus &c.* Quibus verbis excitat pusillanimes, ut ex consideratione benigni Domini agant pœnitentiam quantam possent. Idque comprobat exemplo Ninivitarum Joan. 3. & Meretricis Luc. 7. & Zachæi Luc. 19. qui certè non levem pœnitentiam, nec qualemcunque satisfactionem fecêre: describitque qualis & nostra illorum exemplo esse debeat; *provocâsti ait, Linguæ maledicentiâ multis contumeliâ affectis: linguâ, placato, puras emittens preces, benedicens maledicentibus, laudans vituperantes, gratias agens injuriam facientibus.* Quomodo autem & quanto tempore hæc perfici possent, ait scilicet, *solo animi proposito, uno die &c. pollicere te posthac ista non commissurum, & istud sufficiet ad excusationem.*

Pusillanimes consideratione benigni Domini excitandi ad pœnitentiam.

Linguæ peccata linguâ expianda.

Tandem descendit ad præcitatam Mayeri testificationem. *Ego testificor & fide jubeo fore &c.* Ubi S. Pater in hisce verbis nihil aliud vult, quàm quòd pœnitentia non sit circumscripta tempore, & ad satisfactionem hic & nunc faciendam, cùm pœnites, cùm doles de peccatis, sufficiat, nec DEUS requirat quidquam aliud, quàm firmum animi propositum, promissionemque DEO ex animo recedendi à pristinis malis: Interim tamen Sanctus Doctor non excludit ulteriorem satisfactionem postmodum, scilicet peractâ pœnitentiâ & confessione peccatorum peragendam; ait enim

Pœnitentia vera non circumscripta tempore.

Probatur exẽplo Ninivitarum, Magdalenæ & Zachæi.

& *Ninivitas tridui temporis spatio, animiq; promptitudine iram Dei placâsse, & meretricem brevi temporis momento omnia probra diluisse.* Interim tamen uberior satisfactio requiritur, eam faciendam esse apertè exemplo Magdalenæ & Zachæi declarat; siquidem hæc formalia addit. *Proinde & tu quibus rebus provocâsti Deum, per has rursum facito propitium, provocâsti illum pecuniarum rapinâ, per easdem illum reconcilia, cumq; & rapta restitueris illis, quos injuria affeceras, & alia insuper addideris, dicito juxta Zachæum reddo si quid rapui quadruplum.* Hæc inquit S. Doctor & similia satisfactionis opera, non egent multis diebus, annisve, solo animi proposito, unico die perficiuntur. Hortatur itaque S. Pater suos ad celerem nec dilatam pœnitentiam & satisfactionem, quæ quidem hic & nunc uno die & solo animi proposito perficiuntur. Ipsa tamen satisfactio realis plenaria & completa indubiè & tempus, & actionem diuturniorem requirit: ipsum enim propositum solum non satisfacit plenariè & quoad omnia, præcipuè quoad executionem & efficientiam rei propositæ. Sed interim hic & nunc satisfacit quoad animi promptitudinem illud exequendi reapse postmodum, quod hic & nunc proponitur exequendum. Certè enim quando Zachæus dixit: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*, erat ea satisfactio, at propositi cancellis inclusa, quod indubiè postmodum ipso facto executus est, cùmque id dixit Zachæus hic & nunc solo tum animi proposito contentus fuit Dominus, satisfecitque illi hic & nunc, quod ipsum tamen nisi executus fuisset ipso facto, nullo modo eidem satisfecisset. Etenim quantumvis verba Zachæi *do, reddo*, de

Pecuniarum rapina pecuniis delenda.

Satisfactio non differenda, sufficit hic & nũc proposito animi declarata, quæ pòst executione completur & perficitur.

Probatur exẽplo Zachæi.

præ-

præsenti significent, nihilominus haud pro tunc immediatè, id est, eâdem horâ, tempore quo hæc protulit dedisse, reddidisse, facilè intelligi potest; unde enim immediatè tunc adfuissent eâdem horâ, & tempore, pauperes, illique quos fortè defraudavit? quod ipsum Cornel. à Lapide hîc è sensu SS. PP. Ambrosii, Bedæ, Euthymii, Tertull. Fulgentii explanat. Hanc verò ipsam mentem esse S. Patris patet ex consequentibus, ait enim infer: *Quapropter adhortor vos omnes ne negligenter veluti festo die cogente ad Divina mysteria accedatis, sed si quando parabitis hujus S. Hostiæ fieri participes, multis ante diebus repurgetis vos ipsos per pœnitentiam, precationem, & eleemosynam.* Ad quid hæc precatio? ad quid pœnitentia? ad quid eleemosyna? utique ante dixit S. Doctor, nihil aliud DEus requirit ad satisfactionem ulteriorem præter recessum à pristinis malis, & propositum animi ad ea postea non redeundi? ut quid insuper precatio, ut quid eleemosyna? Respondet S. Doctor hæc nimirum esse, quæ illum recessum, illud animi propositum juvant, confirmant, perficiunt, ut ita per hæc satisfactionis opera non tantùm per solum propositum pœnitentia perfecta & completa reddatur, sine quibus aliàs esset imperfecta, & incompleta. Et hæc sufficiant circa locum à Mayero citatum.

Confirmatur ex S. Chrysostomo.

§. II.

Adferuntur testimonia pro Satisfactione Pœnitentiali ex S. Patre.

Porro Satisfactionis opera ad Pœnitentiam requiri aliis locis S. Doctor apertè docet, è multis aliqua adferamus.

Probatur aliis locis satisfactio ex Chrysostomo.

1. Lib. 2. de Sacerdotio qui locus etiam jam supra

Ad delictorum modū etiam mulcta non temerè adhibenda.

est adductus Contr. 4. Testim. 4. ait: *Non temerè ad delictorum modum oportet & mulctam ipsam adhibere, sed tanquam ex conjecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus &c.* Ad quid meminit mulctæ adhibendæ? nisi quia sensit præter confessionem delictorum, quam explorare debet Sacerdos, etiam velut ex conjecturis quibusdam mulctam seu pœnam & satisfactionem pœnitenti ab eodem esse injungendum,

Pœnitentiæ fructus qui ipsa sunt satisfactio.

2. Tom 5. Serm. de pœnit. m. f. 361. & pœnitentiam dilaudat, & satisfactionem eidem adnectit: ante medium explanans illud. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cælorum, facite fructus dignos pœnitentiæ, Matth. 3.* integrum indicem pœnitentium ex Script. S. recitat, qui fructus pœnitentiæ egerunt, inter quos fructus non ultimus dignitate, & ordine, etsi ultima pars pœnitentiæ ponitur satisfactio, ubi tandē concludit alloquens Ninivitarum pœnitentiam, *Et sic per opera sua.* (scil. pœnitentiæ ejusque satisfactionis) *non solùm decreti mortis discrimen evasit sed etiam vitæ incognitæ coronam accepit.* Deinde pœnitentiæ *lachrymas* de peccato describit, & laudibus effert, quæ utique etiam ad satisfactionem pœnitentiæ spectant. Tandem etiam *ad jejunium*, & *temperantiam* descendit, quæ utique etiam satisfactionis habent rationem. *Pœnitentiæ* ait *sapor est jejunium pro peccato: Quando perfectam verè arripueris abstinentiam & compellentis gastrimargiæ cupiditatem superas, continendo, pœnitudo est: quando persuadentis gulæ libidinem vinum potando vincis, & jam eo quàm parcissimè uteris, pœnitudo est.* Tum & *vigiliæ* meminit, quæ etiam ad satisfactionem spectat, tanquam pœnitentiæ fructus, & partus. *Quan-*

Lachrymæ.

Jejunium & abstinentia à cibo & potu.

Vigilia.

Quando te somnus premit, & vincis eum & vigilas propter DEum pœnitentia est. Scilicet effectus, seu fructus ejusdem. Addit & eleemosynam: *quando esurienti fœneras, pretium vitæ est, vestire nudum, pascere peregrinum, & cum indigentibus mensæ habere consortium: Scriptum est enim quoniam eleemosyna liberat à morte Tobiæ 12.* Paulò post complectitur plura Satisfactionis opera. *Si oraveris, & jejunaveris, & eleemosynam justè feceris complêsti pretium, redemisti peccata tua, remissa sunt crimina, reparata est vita tua.* Tandemq; & gradus quosdam pœnitentiæ adjiciens ait. *Ergo non expavescas pœnitentiam, sed esto in processu ejus promptus, in opere paratior, in amore propensior.* Denique quænam plena & perfecta pœnitentia futura concludit. *Risum fuge, lingvam contine, mores compone, vitia vince, virtutem dilige, sanctitatem sequere, præmissam malevolentiam damna, & plena est pœnitentia tua, atq; perfecta, & promerebitur indulgentiam præstante ipso Domino* &c. En plenam & perfectam pœnitentiam vocat S. Doctor per satisfactionis opera completam, scilicet lacrymarum, jejunii, orationis, vigiliarum, eleemosynæ, aliaque his similia. Hæc nimirum sunt simul digni pœnitentiæ fructus, hæc pretia animæ, hæc reparatio vitæ. Qua in re agnosce consensum Trident. Conc. quod Sess. 14. c. 3. ait, *Satisfactionem unà cum contritione, & confessione ad plenam & perfectam peccatorum remissionem requiri.*

Eleemosyna.

His omnibus completur pretium, rediműtur peccata, remittuntur crimina, reparatur vita.

His & similibus satisfactionis operibus pœnitentia plena & perfecta redditur.

3. Eodem Tomo serm. de pœnit. & confess. m. f. 363. post med. *Operam demus ut & ab intempestivo sumtu absistamus, pro semel malè insumtis aliud reponamus lucrum, pro verbis temerè prolatis sanctas preces, pro visu intem-*

intemperatè facto eleemosynas & jejunia. Quid hæc aliud? quàm opera satisfactoria pro peccatis? Cùm autem satisfactionis tanquam partis pœnitentiæ fundamentum sit juxta Ecclesiæ Catholicæ doctrinam pœna temporalis, quam meritus est peccator, manetque in homine pœnitente ejusdem reatus, quantumvis ei dimittatur culpa unà cum pœna æterna, vel Sacramento, vel Sacramenti voto, ideò ad illam auferendam docetur requiri *satisfactionem pœnitentis per jejunia, orationes, eleemosynas, & alia pia spiritualis vitæ exercitia* Concil. Trident. Sess. 6. c. 14. Hujus itaque ipsius pœnæ & satisfactionis pro eadem meminit S. P. in eodem sermone ante finem. *Ne peccantes ait, & multi manentes nos efficeremur deteriores, non remisit nobis supplicium, sed hoc manifestè vidit, quòd peccatis ipsis non minus damnosum sit non puniri, propter hoc imponit pœnam non exigens supplicium,* (scilicet æternum, nam supra dixit non remisit supplicium scilicet temporale) *de peccatis, sed ad futura nos corrigens.* Hoc ipsum comprobat exemplo Israëlitarum Exod. 2. 2. ubi DEus dicit ad Mosen *dimitte me & iratus delebo eos:* Ubi ait: *Digna illi suppliciis commiserant, suppliciisq; inevitabilibus* (id est æternis) *punire autem volebat sed misericorditer* (scilicet temporalibus pœnis) *id quod eos segniores reddebat. Utraq; autem fecit & ut pœnam* (scilicet æternam, quam eis dimisit) *non inferret, neq; illos faceret ignaviores pœnâ non irrogatâ* (scilicet temporali.) Idque insuper confirmat exemplo Jeremiæ, Ezechielis, atque Davidis, concluditque tandem proponens modos evadendi hæc supplicia & pœnas. *Hæc igitur omnia cùm sciamus, quòd omnia moveat & causatur DEus, ut nos à pœna & supplicio liberare possit, multas ei præbeamus occasiones confitendo, pœnitendo, lacrymando*

Ad delendam pœnã temporalẽ, requiritur satisfactio.

DEus pro peccatis pœnam irrogat temporalẽ etsi remittat æternam.

Ut à pœna tẽporali liberemur Deo præbẽdæ occasiones confitẽdo aliisque satisfactionis operibus.

mando, precando &c. peccata nostra continuò memoremus; non enim sufficit dicere peccator sum, sed operæ pretium est & speciatim peccatorum & delictorum reminisci. Quò hæc omnia à S. Patre dicta ? nisi ut pœna & supplicium ejusmodi satisfactionis operibus tollatur.

4. Eodem Tomo 5. Serm. item de confess. peccati m. f. 364. apertè satisfactionis meminit. *Confessio pœnitentiam monstrat, satisfactio veniam sibi divina pietate conciliat,* & infrà. *Pejus est DEI offensam non satisfactione placare, quàm peccando Dei bonitatem offendere.* Insuper ad finem ait *Confessio reddat quod peccatum detraxerat, curet pœnitentia, quod peccatorum macula sordidârat, serpentinum virus satisfactionis antidoto recuretur, peccatorum venena precum instantiâ depellantur, ut Dominum quem nobis delicta fecerant iracundum, reddant obsequia dignè placatum, & qui à nobis fuerat peccatis offensus, confessione misericors nobis reddatur & pius.*

Pejus est pro peccatis non placare DEum satisfactione quàm peccare.

Satisfactio Antidotū peccati.

5. Tomo 5. Homil. 41. ad Pop. Antioch. m. f. 120. *A nobis ultionem sumamus, nosmet ipsos accusemus ita placabimus Judicem.* Quid est ultionem à se ipso sumere, quàm satisfactione delere pœnam & supplicium ? hæc enim ultio est quid consequens ipsam pœnitentiam. Ibidem commemorat opera satisfactoria, lacrymarum, orationis, eleemosynæ.

Ultione à nobis ipsis sumpta placatur Judex.

6. Tomo 2. Homil. 10. in Matth. ante fin. m. f. 42. apertè loquitur de eadem satisfactione, postquam multis ante de pœnitentia & confessione præmittenda sacris mysteriis disseruisset. *Agamus tamen* ait *pœnitentiā, etiamsi indulgentiæ modum excedere videantur peccata, &c. Pœnitentiam verò dico non solùm ut à malis prioribus desistamus; Verùm etiam ut bonorum operum fructibus impleamur. Facite*

 inquit

Quinam fructus digni pœnitentiæ.

Peccatis adversa faciamus.

inquit fructus dignos pœnitentiæ. Quo autem modo fructificare poterimus si ubiq; peccatis adversa faciamus V. G. aliena rapuisti, incipe donare jam propria: longo tempore es fornicatus, à legitimo quoq; usu suspendere conjugii, ac perpetuam continentiam sæpe paucorum dierum castitate meditare: Injuriam vel opere cuipiam vel sermone fecisti, refer benedictionis verba conviciis, & percutientes nunc officiis, nunc beneficiis placare contende: neq; enim vulnerato sufficit ad salutem tantummodò spicula de corpore evellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus: deliciis ante & temulentiâ diffluebas, jejunio & aquæ potu utrumq; compensa &c.

Quid hæc omnia quàm compensationis & satisfactionis opera pro præteritis delictis?

7. Tomo 2. Homil. 42. in Matth. post med. m. f. 155. Memini supra satisfactionem ad pœnitentiam requiri tanquam partem, aut necessarium quid propter delendum reatum pœnæ & supplicii temporalis, in hac aut altera scilicet vita expiandi, præclarè distingvit hìc S. Doctor pœnam dum ait: *Universorum enim hominum alii & hìc & ibi supplicia dabunt, alii in præsenti solummodò vitâ, alii in futura tantùm, alii nec in præsenti nec in futura. Hìc quidem & illic ut illi ipsi de quibus nunc agitur* (scilicet Judæi crucifixores Christi) *Nam & hìc ipsos ultus est, quoniam intolerabilia passi sunt urbe ipsorum vi à Romanis expugnatâ, ibi autem acerbissima eos exspectant tormenta, ut Gomorrhæ & Sodomorum Cives, aliiq; complures. Ibi verò solummodò ut Dives ille, qui in flamma cruciatus, nec guttæ unius aquæ Dominus est. Hìc autem tantùm, ut qui apud Corinthios fornicabatur. Neq; hìc verò, neq; ibi sicut Apostoli, Prophetæ, sic Beatus ille Job, cæteriq; hujusmodi; non enim ad punitionem aliquas passiones hìc susceperunt, sed*

Pœnæ & supplicii pro peccatis diversitas in hac & in altera vita. Exemplo probatur.

ut cla-

ut clarius in luctamine vicisse cognoscerentur. Post hanc partitionem pœnæ hortatur suos ad imitationem, ut in portione istorum inveniantur, aut saltem eorum qui commissa in hac vita dissolvunt partem consequantur, causamque dat. *Terribile namq;* ait: *Judicium illud est, inevitabilis pœna, intolerabilia tormenta.* Tum verò dat consilium. *Sed si vis, quod ego consulo, nec hic quoq; aliquâ pœnâ cruciari.* (en agnoscit reatum pœnæ in hac vita) *tu ipse tibi justus sis Judex, exige à teipso rationem & correctionem. Audi Paulum dicentem. Quoniam si nosmetipsos dijudicaremus, non utiq; judicaremur.* 1. Cor. 11. *Si id facies ordine paulatim progrediens, ad coronam quoq; pervenies.* Tum deinde occurrit objectioni. *Et quonam modo, inquies, à me ipso rationes vivendi & supplicum exigam?* respondetque adducendo plura satisfactionis opera, qualia etiam supra memoravit. *Largos lachrymarum effunde fluvios, ingentes compunctionis gemitus redde; humillimus sis: laboribus, ac vigiliis teipsum afflige; peccata tua per singulas species recole. Non parvus est hic cruciatus animæ, nec quantus sit ab alio cognoscitur, nisi ab eo qui compunctus est, qui non ignorat hac re in hac vita animam maximè torqueri, nec est nescius, quantus dolor ex memoria peccatorum nascatur.* Et quia adversarii soli fidei Justitiam adscribunt, audiant quid D. Chrysost. testimonio Isaiæ confirmans de pœnitentia dicat. *Quas ob res Justitiam DEus huic pœnitentiæ in præmium proposuit dicens. Dic tu prior peccata tua ut justificeris* Isai. 43. Et quia etiam ordinariè dicunt, non posse nos omnium peccatorum meminisse, siquidem Psalmista ait, *peccata quis intelligit*; ac propterea incusant Catholicam Ecclesiam requirentem omnium peccatorum enumerationem in foro pœnitẽtiæ, tam quoad

Ne judiceris judicatemetipsũ.

Opera satisfactionis exerce.

Pœnitẽtiæ Justitia in præmium datur.

Omnia peccata etiam secundùm speciē enumeranda. ad speciē quàm quoad numerū; Audiant tum quid pauló ante, tum quid jam dicat S. Doctor. *Non est profectò, nō est insufficiens ad emendandum via, si cùm omnia secundùm speciem peccata collegeris, assiduè animo deinde verses* &c. pergitque hortari, *ut non tantùm fornicationes & adulteria, atq; illa quæ omnes homines perhorrescunt; Verùm etiam occulta insidiarum consilia & calumnias, obtrectationesq; arcanas, inanem gloriam, invidiam, ceteraq; hujusmodi omnia colligantur*, &c. Datq; causam, *quia singula horum in gehenna sua habebunt tormenta.* Quod ipsum etiam aliis locis commemorat, tum præcipuè Tomo 5. hom. 41. ad pop. Antioch. m. f. 120. post med. *nobis ipsis persvadeamus quòd peccavimus, neq; tantùm linguâ proferamus, verùm & ex corde non tantùm nos vocemus peccatores, sed & peccata computemus singula per species recensentes.* Ergo agnoscit Chrysostomus singula per species peccata recenseri debere, & posse coram Deo, tum & coram ejus Vicario & Ministro tanquam medico, tanquam pastore, tanquam potestatem ligandi & solvendi habente de quo supra. Ac tandem occurrit objectioni. *Quomodo igitur inquies salvari possibile est?* respondens: *Si opposita his adhibeamus remedia, misericordiam in pauperes, orationem, compunctionem, pœnitentiam, humilitatem, contritum cor apprimè, contemptum rerum præsentium, mille namq; salutis vias nobis DEus proposuit, dummodo diligenter velimus attendere*, &c. Mille vias ait: ergo non solam viam per fidem solam & unicam, de quo supra egimus. Plura itaque satisfactionis opera hic enumerat S. Doctor, quæ omnia sunt pœnitentiæ fructus, & pars, seu requisitum.

Opposita peccatis remedia adhibenda.

Mille vias salutis Deus nobis proponit.

8. Tomo eodem de Lazaro Conc. 4. in fine m. f. 550. *Ut igitur neq; puniamur, neq; pœnas demus, in suam quisq; conscien-*

scientiam ingrediatur vitamq; explicet, cunctisq; commissis diligenter excussis condemnet animã, quæ hæc patravit, puniatq; cogitationem, affligat, crucietq; suam ipsius mentem, supplicium à seipso exigat pro peccatis per condemnationem, per diligenter actam pœnitentiam, per lachrymas, per confessionem, per jejunium, per eleemosynam, per continentiam, per charitatem, ut possimus omnes omnimodò his depositis peccatis multâ cum fiduciâ illuc proficisci, quam nobis omnibus contingat assequi gratiâ & benignitate Domini Nostri JEsu Christi. &c.

In conscientia propria Tribunal quodãmodo cõstituendum.

9. Testimonium sit id quod Sixtus Senensis sup. citatus adfert serm. de Confess. in illud Ps. *Confitemini Domino, quoniam bonus est*, m. f. 429. Ubi clara sunt S. Patris verba de satisfactione. *Confessio Pœnitentiam monstrat, Satisfactio veniã divina pietate conciliat.* Item. *Pejus est Dei offensam non Satisfactione placare, quàm peccando DEI Bonitatem offendere.* Item. *Confessio reddat quod peccatum detraxerat, curet pœnitentia quod delictorum macula sordidârat, serpentinum virus Satisfactionis antidoto recuretur.* Coincidit hoc testimonium cum illo quod quarto loco attulimus supra.

Satisfactio veniam apud Deum conciliat.

Est antidotum cõtra serpentinum vir9.

Addo hic Testimonium S. Patris de operibus satisfactoriis vulgò supererogatoriis dictis, quæ etiam adversarii acriter oppugnare solent, uti sunt præter consveta ab Ecclesia injuncta, voluntariè suscepta jejunia, castigationes corporis, humicubationibus, vigiliis &c. Horum autem expresse meminit Tom. 5. Orat. 5. adv. Judæos f. 450. Ubi agens de correptione fraterna, eamque laudibus efferens, ait: *Quid huic poterit æquiparari? quod neq; jejunium, neq; humicubationes, neq; pervigilia, neq; aliud quidquam efficere potest, efficit fratris procurata salus.* Quæ verba non ita accipienda esse quasi dicta opera supererogationis neget & refellat, sed, quòd in comparatione salutis comparatæ fratris non sint ita efficacia, ipse sensus eorundem indigitat.

Opera supererogationis.

Consensus Concil. Trident. cum S. Chrysostomo ostenditur circa satisfactionem.

Ex hactenus dictis patet manifestè consensus Trid. Concilii cum S. Patre circa Satisfactionem. Nam 1. Satisfactionem Concilium ait requiri *ad plenam & perfectam peccatorũ remissionem* Sess. 14. c. 3. hoc ipsum hìc ait Chrysost. præsertim loco 2. ad finem. 2. Docet remissâ culpâ à Deo non remitti universam pœnam, id est, saltem temporalem remanere, pro qua expiandâ necessaria sunt satisfactionis opera, cap. 8. Idem docet D. Chrysost. loco 3. 7. & aliis. 3. Docet Trident. satisfactione homines *à peccatis revocari*, quasi *fræno coerceri, cautiores effici &c.* Idem docet Chrysost. præcipuè loco 5. ubi etiam ait: *non eris mali memor, hæc semper memoriâ gerens, non irasceris, non convitiaberis, non altum sapies, non rursum in eadem cades, eris ad bona fortior &c.* 4. Docet *vitiosos habitus malè vivendo camparatos contrariis virtutum actionibus tolli.* Idem docet Chrysost. Loco 2. 5. 6. & aliis. 5. Docet Trid. satisfactionem *non tantùm esse ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem:* Idem docet allegatis locis Chrysost. 6. Docet satisfactionis pia opera præcipuè esse lachrymas, orationes, eleemosynas, & alia pia spiritualis vitæ exercitia Sess. 6. c. 4. Eadem enumerat hìc Sanctus Chrysost. 7. Docet Trident. Sacerdotes debere, quantum Spiritus & prudentia suggesserit salutares & convenientes satisfactiones injungere: Idem docet S. Pater præcipuè loco 1. & supra Contr. 4. Testim. 4. Quid plura? Verbò satisfecisse, jam credo tibi Mayere videbor, nisi fortè obnitenti & indurato animo, si tamen talis tuus est, qualem nollem esse, ipsa haud pœnitenda satisfactio de Satisfactione pœnitentiali nondum satisfecerit.

CON-

CONTROVERSIA VII.
De Communione ſub una Specie.

A Pœnitentia ejusq́ue Satisfactione ad S. Menſam non improbando ordine gradum facit Mayerus, circa quam Concilii Tridentini doctrinam Seſſ: 25. Can. 1. adducit; cujus hic eſt ſuccus *Sacramenti Euchariſtiæ ſub utraq́ ſpecie ab omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus ſumtionem non eſſe ex Dei præcepto, neq́ de neceſſitate ſalutis.* Hoc tenet Eccleſia Catholica nunc, hoc ante ſemper tenuit. Opponis te Mayere cũ tota Lutherana Secta huic Doctrinæ. Tui verò dogmatis hic eſt ſuccus *Sacramentum Euchariſtiæ ſeu Cœnæ Domini ſub utraq́ ſpecie, ſeu ſymbolo ab omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus ſumendum eſſe, eſt præceptum DEI & Domini Noſtri JESU Chriſti, eſtq́ id de neceſſitate ſalutis*, aliàs ſub una ſolùm ſpecie dimidiatum ſeu mutilum eſt Sacramentum.

Enim verò non miror hic Hiſtoriam illam, quam ex Sfortia Pallavicino adfers. Sed veriùs miror immoderationem animi tui, quòd in allegatione loci ex D. Chryſoſtomo auſus ſit intemperante & aculeato calamo hæc exarare, *Chryſoſtomum Sacrilegis illis* (quo hoc tam profano nomine intelligis Tridentinos, totamq́ue Eccleſiam Catholicam) *in os contradicere.* Tomo nona. ut apud te impreſſum, ſed 4. homil. 18. in Epiſt. 2. ad Corinth. *Interdum autem ne quidquam quidem inter Sacerdotem intereſt, & eos, quibus præeſt, velut cum tremenda Myſteria percipienda ſunt. Æq́ enim omnes ad ea admittimur: non quemadmodum in veteri Teſtamento alia Sacerdos, alia ſubditus edebat, nec plebi fas erat iis veſci, quibus Sacerdos veſcebatur.*

Allegatus ex Chryſoſtomo locus contra Cõmunionem ſub una ſpecie explicatur.

Nunc

Nunc enim secùs se res habet; Omnibus siquidem unum corpus, unum poculum proponitur.

Ergóne Mayere haud legisti, quid ad hunc locum jam olim cùm alii, tum præcipuè Doctissimus Bellarminus respondit? Nimirum S. Doctorem vim facere in re & substantiâ quæ sumitur non in speciebus, vel in modo sumendi; eadem enim res & substantia scil. Corpus & Sangvis Domini Nostri sumitur à Sacerdotibus, quæ à Laicis; aliàs falsum esset discrimen, quod ipse ponit inter Novam & Veterem legem. Vide & lege plura apud eundem.

Ex Bellarmino.

Ego interim Locum hunc pensiculatiùs trutino. Inprimis quæro ex te Mayere, ubi hoc loco dicit S. Doctor præceptam, aut omnino necessariò utramque Speciem omnibus Christi fidelibus sumendam esse? Non unum Jota hìc, non unus apex de præcepto, vel de necessitate hac legitur, extra oleas ergo incedis allegando hunc S. Patris locum. Ubi item dicit S. Doctor, quòd corpus Christi sit *in, cum, & sub pane?* dicit quidem *tremenda Mysteria percipienda*; sed non addit sub speciebus panis & vini, aut *in, cum, & sub pane*, atque *vino* omninò percipienda. Dicit *omnes æquè admittimur*, sed non addit *ex præcepto* aut *necessitate salutis*, nec addit admittimur ad *utramque speciem*, neque enim meminit *panis* nec *vini*. Ait quidem *omnibus, siquidem unum corpus, & unum poculum proponitur*, sed non ait *ex præcepto*, aut *necessitate salutis*. Neque verò sequitur ex eo, quia meminit panis aut poculi, intellexisse eum utramque speciem præceptam & necessariò omninò esse omnibus sumendam. Nam Tomo 4. homil. 27. in 1. Con. 11. m. f. 224. ait: *gustavisti sangvinem Christi & ne sic quidem agnoscis.* Ubi quia solius sangvinis meminit, non rectè inferas

Non meminit hic S. Doctor utriusq; speciei tanquã præceptæ vel omninò necessariæ.

inferas Chrysostomum docuisse de præcepto aut necessitate esse solùm unam speciem vini. Ita in præsenti ex eo quia meminit panis & poculi non rectè infertur præceptum aut necessitatem utriusque speciei ab eo intellectam esse.

Præterea tò *Poculum* in quo vim maximam ponis, posset accipi pro poculo spirituali non materiali, quo bibitur sangvis Christi Sacramentaliter & Spiritualiter, siquidem etiam sub specie panis in vivo corpore est vivus sangvis. *Vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ quâ partes Christi D. inter se copulantur* ut ait Concil. Trid. Sess. 13. cap. 3. Corpus per modum cibi comeditur, atque bibitur sangvis per modum poculi ipso Domino attestante, quando Joann. 6. ait *Caro mea verè est cibus, & Sangvis meus verè est potus, qui manducat meam Carnem & bibit meum Sangvinem in me manet & ego in eo.* Postea verò diversis aliquot vicibus meminit solius panis, ejusque solius manducationi tribuit vitam æternam, *Qui manducat hunc Panem vivet in æternum*; *Panis quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita.* Ubi notandum, quòd etsi Dominus Noster meminerit carnis, quæ verè est cibus edendus, & Sangvinis qui verè est potus bibendus, non tamen meminit specierum panis simul & vini, quo ostenditur manducationem & bibitionem haberi posse etiam sub una specie, siquidem etiam sub una est, verum Corpus & verus Sangvis Christi, atque ab utroque etiam sub una specie panis, posse vitam haberi. *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Dum igitur S. Doctor poculi meminit, potest intelligi dixisse de poculo id est, de sumtione Sacramentali & Spirituali Sangvinis Christi.

Per poculum S. Doctor fortè intelligit poculum spirituale non materiale.

Poculum proponitur in Sacrificio.

Ad hæc S. Pater ait. *Proponitur Corpus & poculum*, signanter inquam ait *proponitur* id est in altari per oblationem, & sacrificium novi testamenti, quod S. Pater tenuit ut tum ex aliis locis, tum ex Liturgia seu Missâ ejus constat, non autem ait expresse datur vel porrigitur ad bibendum: dum autem ad ipsam sumtionem seu Communionem venitur, Sacerdotis utpotè secundùm ordinem Melchisedech, offerentis seu sacrificantis, est utramque speciem sumere; Laicis autem etiam una species sufficit ad salutem & vitam æternam, in qua tamen & cibum & potum seu poculum spirituale & Sacramentale habent. Neq; verò quis objiciat oppositum potiùs deduci ex verbis S. Patris, siquidem ait: *In veteri testamento alia Sacerdos, alia subditus edebat* &c. *nunc autem secùs se res habet, omnibus siquidem unum corpus, & unum poculum proponitur.* Nam etsi solùm unam speciem sumat Laicus, non sumit aliam quàm Sacerdos, quia idem in re & substantia Corpus, eundemq; Sangvinem sumit, illud per modum cibi, hunc per modum poculi spiritualis, juxta Christi D. dictum. *Caro mea verè est cibus, & Sangvis meus verè est potus*, etiam sub una specie panis, quem panem etiam solum vitam æternã dare testatur, *qui manducat hunc panem vivet in æternum.*

De Sacrificio hìc loquitur Sanctus Doctor.

Porrò per tò *proponitur* intelligere S. Patrem Sacrificium Novi Testamenti, vel ex eo colligere est; nam inprimis utitur his verbis *tremenda mysteria* quibus intelligit etiam aliàs sacrificium. Deinde de eodem etiam in sequentibus loquitur, ibidem enim meminit Orationis Sacerdotis pro plebe & plebis pro Sacerdote per illa verba *& cum Spiritu tuo* reddita Sacerdoti oranti & dicenti ad Populũ *Dominus vobiscum.* Meminit item orationis quâ Deo aguntur gratiæ: ait enim *nam non priùs vocem illam Sacer-*

dos

dos sumsit, quàm illi assenserunt, id dignè ac justè fieri, tum demum gratiarū actionem auspicatur: scilicet id quod & nunc in Ecclesia Catholica initio Præfationis fit, dicendo: *Verè dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubiq; gratias agere* &c. Tu autem Mayere rejicis hoc sacrificium, quod S. Pater cum Ecclesia Catholica tenet.

Insuper S. Pater ait; *Proponitur Corpus & poculum* scilicet antequam sumatur, denotando etiam ante sumtionem esse Corpus & Sangvinem, non in ipsa sola sumtione; Tu autem Mayere doces cum tuis contrarium scilicet in ipsa sola sumtione *esse Corpus & Sangvinem Christi.*

Corpus & Sangvis Christi non in ipsa sola sumtione.

Denique non posse ex hoc loco manifestè concludi aut præceptum, aut necessitatem utriusq; speciei pro omnibus fidelibus: patet exinde, quia ætate D. Chrysostomi in ipsa Ecclesia, cui præerat tanquam Episcopus, Constantinopolitana, liberum fuisse communicare etiam sub una specie patet ex Sozomeno & Nicephoro, quorum uterq; talem referunt historiam temporibus D. Chrysost. contigisse, ille quidem Lib. 8. histor. c. 5. hic verò Lib. 13. c. 7. *Fœmina quædam hæretica Macedoniana, cùm vellet tegere suam hæresim, & se Catholicam simulare, accepit in manus Chrysostomo sacra operante, panem Eucharistiæ, tanquam paulò post illum manducatura, sed clam dedit illum ancillæ, & ab ea sumsit panem profanum, quem domo adferri jusserat, ut illum palam comederet loco Eucharistiæ, sed is panis in lapidem continuò est conversus: Mulier perterrefacta ad Episcopum cursu contendit, ac se ipsam prodens, lapidem ostendit adhuc morsûs vestigia habentem,* lapis ille (concludit Nicephorus) *testis est, qui etiamnum inter cimelia Ecclesiæ Constantinopolitanæ asservatur.* Ex hoc facto apparet morem fuisse, ut acciperent qui vellent Eucharistiam sub una specie tantùm: nam si omnes coacti fuissent bibere de calice, mulier

Ætate D. Chrysostomi libera erat communio sub una specie.

Probatur miraculoso exemplo.

illa nullo modo simulare potuisset; non enim pro calice Domini aliquid aliud sumere potuisset; siquidem calix non dabatur in manus, sed manu Diaconi admovebatur ori communicantium, ut id ipsum rectè advertit Doctissimus Card. Bellarminus.

Sed videamus ex aliis rationibus, nec vanis conjecturis S. Patrem nunquam tenuisse id quod tu Mayere cum tuis scil. Comunionem à Christo D. præceptam, & omninò ad salutem necessariam esse sub utraque specie: Idq́ue

Nullibi S. Chrysost. in libris suis præcepti, aut necessitatis Communionis sub utraq; specie meminit.

1. Pervolve omnes Tomos, Libros, Capita, paginas, versus S. Patris, nullibi reperies mentionem istius præcepti, aut necessitatis.

2. Loca Scripturæ ex quibus Dissidentes evincere contendunt dictum Præceptum & necessitatem, sunt præcipuè illud Matth. *Bibite ex eo omnes.* Item. *Hoc facite in meam commemorationem* Luc. 14. Epist. 1. Cor. c. 10. & 11. *in qua nocte tradebatur*, &c. Item illud Joan. 6. *Nisi manducaveritis meam Carnem, & biberitis meum Sangvinem*, &c. Hæc omnia loca S. Doctor sat fusè explanat, in nullo autem meminit præcepti & necessitatis; ut adeò vel exinde colligas omnes Adversariorum expositiones illorum locorum de præcepto & necessitate esse planè novas, atq́; modò in illorum cerebro natas: siquidem nec D. Chrysostomus, neque ullus alius SS. Patrum dicta loca ita intellexit & explicuit, ut ipsi modò intelligunt & explicant. Hocq́; ipsũ adhuc magis firmatur ex eo, quia singula quæq́; Dissidentiũ Secta ea ipsa loca aliter & aliter diversimodè explicant: Aliter enim ea intelligunt & explicant Viclefitæ & Hussitæ, aliter Lutherani, aliter Quakeri, quòd fusiùs à nobis demonstratur in Scrutinio Veritatis Fidei Parte 1. Discur. 1.

Nullum locum Scripturæ intellexit, nec explicuit de præcepto vel necessitate utriusque speciei S. Chrysost. nec ullus alius Patrũ.

tam

tam diversas autem & sibi contrarias ac repugnantes expositiones apud Sanctos Patres nullibi est legere.

S. Chrysost. unius solũ speciei usũ agnoscit.

Tertiò, S. Chrysostomus unam solùm speciem probat positivè in operis Imperfecti expositionibus super Matth. c. 7. Homil. 17. f. 355. ubi inprimis exponens illa verba Domini: *Nolite Sanctum dare canibus*, enumeransque diversa *Sancta* ait: *Sancta est gratia corporis Christi, propterea illis solis danda est, qui jam per baptismum facti sunt filii Dei, & per impositionem manus*, quâ Sacramentum Confirmationis conferebat. Ubi gratiam corporis Christi commemorans solùm meminit unius speciei, aliàs si præceptam, aut necessariam utramque omninò tenuisset, non omisisset sangvinem, poculum, vel calicem nominare. *Sancta* inquit, *est gratia Corporis Christi*, non ait simul & poculi & calicis, &c. Totam enim gratiam Eucharisticam in se continet, etiam sub una specie Corpus Christi quod comeditur, à quo sangvis non separatur, qui bibitur, unà cum corpore comesto utique non exsangvi; postea ait *benedictus panis sancta sunt, propterea illis porrigenda sunt, qui capaces facti sunt benedictionum*, scilicet fidelibus non Catechumenis, ubi benedicti panis meminit distincti à pane benedicto per consecrationem Sacerdotis, qui & Sanctificatio est. Etenim de utroq; distinctè loquitur inferiùs: *Sed quia* inquit, *de Sanctis cœpimus dicere, non est tacendum, quoniam aliud est Sanctificatio, aliud Sanctificatũ; Sanctificatio enim est quod alterũ sanctificat, sanctificatum autem alterum sanctificare non potest, quamvis ipsum sanctum est.* Ostẽdit igitur ab exemplo id quod sanctificatũ est, scilicet per benedictionem, *ut puta signas panem tuũ, quem manducas sicut ait Paulus: Sanctificatur enim per verbum Dei & orationẽ* 1. *Tim.* 4. *Sanctificâsti eum non fecisti satisfactionẽ.* Jam ostendit id quod non tantũ sanctificatũ, sed & Sanctificatio est, nẽpe panis Eucharisticꝰ.

Quæ dabatur post baptismum & impositionẽ manûs id est Sacramentum Confirmationis.

Aliud est Sanctificatum aliud Sanctificatio.

Quod

Sanctificatio est quod Sacerdos dat de manu sua scilicet Eucharistia.

Quod autem, inquit, Sacerdos manu suâ dat, non solùm sanctificatum est, sed etiam Sanctificatio est, quoniam non solùm datur id quod videtur, sed etiam illud quod intelligitur. De Sanctificato ergò pane licet & animalibus jactare & infidelibus dare, quia non sanctificat accipientem, si autem tale esset quod manu Sacerdotis accipitur, quale est, quod in mensa manducatur, omnes de mensa manducarent, & nemo de manu Sacerdotis acciperet. Ubi contra distingvit panem communem etiam benedictum seu per signaturam scilicet crucis, sanctificatum à pane sanctificato à Sacerdote, eumq́ue vocat *Sanctificationem, qui sanctificat accipientem, daturq́ in illo non solùm id quod videtur, sed etiam quod intelligitur,* dum autem ait quod illum *Sacerdos manu suâ dat,* & quod *de manu Sacerdotis accipiatur,* ostendit usum veterem quòd de manu Sacerdotis accipiebatur hic sanctus panis à communicantibus, adeòq; hic panis seu unius solum speciei meminit, quòd usus fuerit Laicis eandem dare manducandum, imò etiam domum deferendam, ut ex aliis historiis patet. Vi. de Bellarm. & alios.

Christus D. in Emaus Discipulis suis in benedicto pane dedit Carnem suam ad manducandum.

Quartò. Hoc ipsum porrò confirmat duobus exemplis Scripturæ: ait enim: *Unde & Dominus in via non solùm benedixit panem, sed de manu sua dedit Cleophæ & socio ejus Luc. 24. Et Paulus navigans, non solùm benedixit panem, sed de manu sua porrexit Lucæ & ceteris discipulis suis Act. 27. Quod autem de manu porrigitur, nec animalibus dandum est, nec infidelibus porrigendum, quia non solùm sanctificatum, sed etiam Sanctificatio est, & sanctificat accipientem.* En hic S. Pater tam fusè loquitur de pane sanctificato, & qui insuper Sanctificatio est, eumq́ue dari seu porrigi à Sacerdote, dariq́ue in illo non tantùm id quod videtur, scilicet species accidentales, sed etiam quod intelligitur,

tur, scilicet ipse Christus D. ab eodemque sanctificari accipientem. Idem confirmat exemplo panis à Christo D. in Emaus dati Discipulis, panis item porrecti à Paulo Lucæ & ceteris suis sociis, adeòque loquitur hic de panis Eucharistici Communione sub una solùm specie, non sub duabus: Neque enim Christus Dominus Discipulis in Emaus, nec Paulus Lucæ & ceteris post porrectum panem porrexit & poculum vini. Ita sentit D. Chrysostomus.

Non abs re fuerit hoc loco consensum Patrum adduxisse, circa illum Lucæ 24. locum de Christo in Emaus duobus discipulis panem frangente, ac porrigente ad manducandum. Consentiunt & alii SS. Patres.

Augustinus inpr. L. 3. de consensu Evang. c. 74. Tom. 4. p. 220. *Non incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Sathana factum esse, ne agnosceretur Jesus, sed tamen à Christo Domino est facta permissio usq; ad Sacramentũ panis, ut virtute corporis ejus participata removeri intelligatur impedimentum inimici ut Christus possit agnosci.* Idem confirmat loco citato, adducens simul locum 1. Cor. 10. *Nec quisquam se Christum agnovisse arbitretur si ejus corporis particeps non est, id est Ecclesiæ, cujus veritatem in Sacramento panis commendat Apostolus dicens: Unus panis, unum corpus sumus,* 1. *Corinth.* 10. *ut cùm eis panem benedictum porrigeret, aperirentur oculi eorum ut agnoscerent eum.* Augustinus.

Idem sentit Theophylus ad c. 24. Lucæ. *Insinuatur autem & aliud quoddam nempe quòd oculi eorum, qui benedictum panem assumunt aperiuntur, ut cognoscant illum: Magnam & indicibilem vim habet Caro Christi.* Consonat Isychius l. 2. c. 9. in Levit. apertè dicens *quòd Christus D. Lucæ 24. post resurrectionem suam in spirituali Cœna seu Sacramento Eucharistiæ & fractione panis sit agnitus.* Consentit deni- Theophylactus. Isychius.

Beda. denique & Vener. Beda sermone de Verb. Evang. in 1. Cor. 10. v. 26. qui etiam tribuitur Augustino *Dominus IEsus ab eis quorum oculi tenebantur ne illum agnoscerent in fractione panis voluit agnosci Luc. 24. Noverunt fideles, sciunt quid dicam, noverunt Christum in fractione panis: Non enim omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi fit Corpus Christi.* Ex his igitur tot tantorum Ecclesiæ Patrum testimoniis patet, magis communem (quanquam pauciores aliter senserint) in Ecclesia sensum fuisse, quòd in Emaus Christus D. in benedicto pane corpus suum discipulis porrexerit manducandum: ubi cùm non fuerit Calix, seu vinum propositum: nam immediatè post porrectum & comestum panem, *aperti sunt oculi* Discipulorum, *& ipse evanuit ex oculis eorum*, adeòque sub una solùm specie panis Discipulis suis carnem suam dedit ad manducandum.

Christus D. sub una etiam panis specie totus sumitur.

5. S. Pater sensit totum Christum D. etiam sub una specie sumi, tam secundùm corpus quàm secundùm sanguinem, nec dimidiari aut dividi Sacramentum hâc sumptione, etiam unius speciei, siquidem totum id sub una sumitur quod sub duabus, adeòque æquè sub una atque sub duabus integrum haberi Sacramentum. Luculenter id significant ejus verba Tomo 4. Homil. 83. in Matth. f. 275. cum ait: *Ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis.* Scilicet sumendo etiam sub una specie *ipsum* totum *comedis*, &c. Similia habet Homil. 24. in 1. Cor. *Non regium puerum sed ipsum unigenitum Dei Filium accipis.* Item Lib. 6. de Sacerdotio, &c.

Ex his igitur quæ hactenus adducta sunt, facilè cuivis rectè sentienti patere potest, quænam fuerit mens S. Chrysostomi de Communione sub una specie. Pro colopho-

lophone addo votum meum ex eodem S. Patre ex eadem Homil; hìc primò à Mayero adducta, à me autem trutinata; (quod utinam te Mayere, tuiq́ue similes moveat!) quo ad unitatem non schismata in Ecclesia Christi facienda adhortatur. *Etenim* inquit *omnes tanquam domum unam sic Ecclesiam habitare, omnes ut unum corpus sic affectos esse convenit, quemadmodum videlicet, & baptisma unum est, & mensa una, & fons unus, & creatio una, & deniq́ Pater unus. Ecquid igitur dissecti & divulsi sumus, cùm tot summæ conjunctionis vincula habeamus? Rursus enim eadem deplorare cogimur, quæ sæpe numerò luctu prosecuti sumus. Luctu quippe ac lacrymis dignus est, hic rerum status, in quo alii ab aliis usq́ adeò distracti abruptiq́ sumus* (per tot scilicet Sectas inter se dissectas, etiam circa hanc mensam Domini) *cùm, contrà corporis unius compagem imitari nos oporteat.*

Deplorandus Status Ecclesiæ in tot Sectas divulsæ & distractæ.

CONTROVERSIA VIII.

De Matrimonio Clericorum.

§. I.

Expenduntur Loca S. Patris pro Conjugio Sacerdotum à Mayero citata.

ETiamne Mayere Matrimonii Clericorum Fautorem, & Patronum facis castissimum Præsulem meum Chrysostomum? At quo argumento? ex Tomo 1. inquis, petito Homil 4. in Isaiam ubi *Sancto Ordini non obesse Matrimonium sanctè adfirmare S. Doctorem* quàm audacter asseris, tam temerè probas, imò nihil evincis. Atque ut inprimis ab ipsomet hoc sancto Pontifice exordium faciam, exemplo suo & vitâ omnibus Clericis non tantùm

doctrina prælucente: statuo tibi inprimis ob oculos eundem, totum vitæ suæ curriculum in perpetua castimonia & continentia transigentem. Testis hujus est fidissimus ejus Discipulus Palladius Episcopus Helenopolitanus in Dialogo de vita D. Joannis Chrysost. præfixo operibus ejusdem S. Doctoris. Ubi primum ejus ætatis florem describens ait. *Verùm stimulante conscientia ne contentus esset laboribus Civitatis in ipso juventutis flore, sensu planè integro vicinos occupat montes, ibiq; congressus Seni cuidam Syro continentiæ inprimis studioso, sese illi socium dedit, imitatus vitâ continentiam, duritiamq; propositi, mansit autem apud illum annis quatuor incentiva naturalis ardoris divinarum literarum studiis superans. Ubi verò motus omnes juvenilis ætatis non tam labore quàm ratione superavit desiderio delitescendi solus remotiorem Eremum petiit, illicq; speluncæ inclusus biennium fermè peregit. Quo in tempore jugiter fermè sine somno persistens Scripturas S. penitus edidicit, earumq; perpetuâ meditatione ignorantiam à se longè fugavit. Verùm cùm toto biennio nunquam cubuisset non nocte, non die, subjectas ventri partes omninò mortificat frigore virtutes renum feriente.*

S. Chrys. totum vitæ suæ curriculum in continentia transegit.

Inprimis in Juventute.

Vidimus primum ætatis ejus florem prorsus incorruptum, jam in matura Sacerdotii, atque Episcopalis dignitatis ætate eundem castimoniæ florem immarcessibilem spectemus. *Quod*, pergit Palladius, *ille ubi animadverteret Ecclesiasticum rursus occupat portum, id autem Divinâ providentiâ factum scimus, quæ hunc ad Ecclesiæ utilitatem ab exercitatione immodica infirmitatis occasionibus repellit, ut impeditus ægritudine speluncis renuntiare cogeretur.*

Tum in statu Ecclesiastico.

Hinc

Hinc jam à Meletio Diaconus ordinatus, quinq; annis venerandis ministrat altaribus, sed cùm doctrinæ illius gratia innotuisset cunctis, populiq; fideles vitæ illius continentiâ veluti sale condirentur, Presbyter à sanctæ memoriæ Flaviano Episcopo consecratur invitus licet ac renitens. Post pauca verò ait idem *Ordinatus itaq; Joannes Pastoris officium diligenter exequitur rationabili fistula experimentum ovium facere aggressus. Raro autem sed tamen necessariò virgâ correptionis utens sermonem exacuit adversùs fictam non fraternam, ut eam appellant, sed planè fœdam atq; inhonestam vitam eorum Sacerdotum, qui mulieres, quas subintroductas vocant secum habere vellent; asserens comparatione mali, tolerabiliores esse lenones: illi enim longè à medicinæ taberna separati, seorsum habent, qui sua spontè infirmi esse delegerunt. Hi autem intra salutis officinam habitantes sanos ad morbum evocant. Hinc jam pars impia Cleri eo pressa morbo, eaq; febre correpta ægrè ferebat. Hac ergo peste propalata ac curata, orationis jacula intorquet contra injustitiam acremq; malorum cupiditatem evertit ac destruit.* Quàm porrò illibatè ætatem juvenilem plurimis aliàs expositam naufragiis percurrerit, patet ex eo, quæ insuper ibidem adjicit Palladius. Cùm enim descripsisset Acacii Episcopi inimicitias contra D. Joannem exortas, ad quas promovendas Socios delegerat Severianum, Antiochum, & Isaac Syrulum circumforaneum. *Hi,* inquit, *mittunt primùm Antiochiam adolescentiæ illius crimina inquirentes. Ubi autem defecerunt scrutantes scrutationes, nihilq; invenerunt, quo illius fucarent gloriam, Alexandriam ad Theophilum mittunt &c.*

Diaconatûs.

Presbyteratûs.

Episcopatûs.

Etiam hostes nihil invenerunt in S. Chrys. quo ejus Gloriam fucarent.

Viden' Mayere quomodo Sanctus hic Vir continen-

 tiam

tiam & Virginitatē & per exercitationes immodicas corpusculi adeptus in juventute, & eandem tam in Sacerdotio quàm Episcopatu sanctè conservavit, ita ut ne hostes quidem ullam in ea maculam reperire potuerint. Quâ tu igitur fronte eum ut hostem vitæ Sacerdotum continentis, ita contrà incontinentis conjugalis patronum facis? Quâ conscientiâ ais *Chrysostomum S. Ordini Matrimonium non obesse sanctè affirmare*, cùm ipsemet ab eo planè alienus, exemplo suo illud haud firmaverit?

Expenditur Locus S. Patris adductus à Mayero contra continentem vitam Sacerdotum.

Verùm & hoc quod adfers testimonium ne quidquam ad tuum facit propositum. Etenim eo loco S. Doctor loquitur de Matrimonio in genere, nihilque aliud intendit probare, quàm quòd conjugium haud impediat ad exstingvendam gratiam, neque ad colendum Deum, neque tandem ad salutem æternam consequendam, nec denique conjugium malum esse, sed scortationem, idque probat exemplis adductis ex Veteri Lege. 1. *Isaiæ qui cum conjugio commercium habuit, nec tamen exstinxit gratiam.* 2. Exemplo Mosis, Abrahæ, Matris Machabæorum. 3. Exemplo Petri cujus socrum febricitantem Christus sanavit. Tum 4. Etiam Philippi quem quatuor filias habuisse asserit. Tandem 5. & ipsius Christi D. qui etsi de *Virgine natus, tamen & nuptias accessit & donum attulit, aquâ in vinum miraculosè versâ.*

Quid autem hæc omnia ad Sacerdotium Catholicū Novi Testamenti? Habuerit sanè Isaias uxorem, habuerit Moses, & Abraham; Habuerit Mater Machabæorum maritum, ergò & Sacerdotes Novi testamenti illas habere debent. Quo argumento probabis paritatem Mayere? Habuerit & Petrus & Philippus, de quibus quidem constat eos habuisse uxores: Nam de primo testatur S. Scri-

ptura ex eo, quia habuit Socrum ; de altero autem non Scriptura, sed aliqui SS. PP. inter quos & Chrysostomus hic. At verò illi vocati à Christo D. illo verbo : *Sequere me*, deseruêre Uxores , *nam relictis omnibus secuti sunt eum*, adeòque & relicta uxore : aliàs si vel has non reliquissent, quo pacto veritati consonè asseruisset Evangelista eos *relictis omnibus* secutos Christum ? Adstipulatur D. Hieronymus Apolog. ad Pammachium pro Lib. advers. Jovinian. *Apostoli, vel Virgines, vel post nuptias continentes:* (Unde illorum exemplo fit in Ecclesia , quod ut porrò addit idem) *Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur , aut Vidui, aut certè post Sacerdotium in æternum pudici.*

Apostoli Virgines, aut post nuptias continentes.

Ita & Episcopi ac Presbyteri in Ecclesia.

Præterea Christus D. *Virginitate nuptias honoravit*, ait D. Chrysostomus loco citato, nunquid ideo Matrimonium Sacerdotum approbavit? nunquid ideò virginitatem exclusit à venerando statu Sacerdotali? quin potiùs Virginitate suâ magis Virginitatem honoravit, eam retinens, nec vincula Matrimonii iniens ; alicui saltem hominum statui exemplum vitæ & virtutis hujus singulariter colendæ præbens, cui autem alteri potiori jure quàm Sacerdotali? Quin insuper in eisdem nuptiis quas *virginitate honoravit* , ad eandem retinendam occasionem præbuit , primo & insigni illo miraculo aquæ in vinum conversæ: ostendere enim voluisse videtur , fragilitatis humanæ aquam divinitùs converti posse, gratiâ Dei accedente, in generosum vinum virginitatis, in *vinum* scil. de quo Zachar. 9. 27. *germinans virgines.* Etenim non desunt gravissimi Autores, qui tenent has nuptias in Cana Galileæ fuisse Joannis Evangelistæ , qui, cùm duxisset uxorem, cognito miraculo à Christo D. facto, eam dimisit,

Christus D. Virginitate sua exemplum præbuit Sacerdotibus cōtinentiæ colendæ.

Probabilior sentētia S. Joañem in nuptiis Canæ Galileæ fuisse sponsum sponsamq; deseruisse,

sit, Christumq́ue secutus est, in qua sententia sunt Rupertus in Joan. L. 2. ad fin. ubi testatur hanc esse communem opinionem. Beda Tomo 7. in homil. Evang. dixit Jesus Petro sequere me. D. Thomas 2. 2. q. 186. à 4. ad 1. Anton. 2. p. t. 1. par. 1. historiali 25. Carthus. Lyr. Cajet. hìc, & eam probabilem judicant Beauxalm, & Bortadus, qui eam tribuunt Augustino apud Sylveiram in Text. Evang. Comment. Tomo 2. L. 4. q. 3. Certè Hieronymi verba in Prol. antiquo ad Joan. hæc leguntur. *Joannem de nuptiis volentem nubere, vocavit Dominus*, & in alio Augustino dato. *Iste est Joannes, quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate vocavit*, apud Ant. Escobar, & Mend. in Evang. temp. Comment. Volum. 1. L. 11. Et quanquam hic Autor in oppositum adducit rationem ex aliquorum PP. autoritate, videntur tamen probabiliorem priorem sententiam facere plures longè, quos & ipse citat, & Sylveira adducit, adeò ut magis communis videatur esse illa prior sententia, adeòq́ue certior, in dubiis enim pluralitas concludit, ceteris paribus & nisi aliquod sequatur inconveniens. Favet deniq́ue idem Autor, siquidem ad autoritates à se adductas addit *rationem*, inquiens de illa, *infirmam fateor, conclusionemq́; faventem* ait *retinere* Barrad. Tolet. & alios.

Quod attinet 2. Locum quem Mayerus citat pro Sacerdotum Conjugio ex Tomo 4. in Epist. ad Titum C. 1. hom. 2. ad initium, ubi S. Doctor ait, quòd *Apostolus obstruere prorsus intendat ora hæreticorum, qui nuptias damnant ostendens eam rem culpâ carere, imò ita esse pretiosam, ut cum ipsa etiam possit quispiam ad sanctũ Episcopatûs Solium subvehi.*

Alter locus S. Patris contra cõtinentiam Sacerdotalem expenditur.

Hoc loco loquitur S. Doctor de iis hæreticis, qui absolutè damnabant nuptias esse bonas: quales fuêre Sa-

tur-

turniani, de quibus Irenæus adversus hæret: L.1.c.22. *Nubere autem & generare à Sathana dicunt esse.* Item Severiani & Archontici de quibus Epiph. hær 45. Item Manichæi de quibus August. de Hæres. hær.46. & L. 30. contra Faustum c. 5. Hoc autem nunquam potest Ecclesiæ Catholicæ attribui: neque enim eas absolutè damnat, sed ab eis abstinendum rectè docet sanctiori statui Sacerdotali. Cùm autem dicit S. Pater *eam rem ita pretiosam esse, ut cum ipsa possit quispiam ad S. Episcopatûs solium subvehi,* non docet absolutè & omninò Episcopo aut Sacerdoti nuptias esse celebrandas: non enim dicit debet vel necesse est omninò, sed duntaxat, quòd *possit ad Episcopatûs Sanctum subvehi Solium.* Nam ut infrà videbimus ex eodem initio Ecclesiæ assumebantur ad Episcopatum etiam in conjugio actu existentes, sed tum thori separationem observabant, tum mortuâ priore ad secundas nuptias minimè descendebant, idque ex doctrina Apostoli. Quod ipsum ex eadem homilia patet. Statim enim post allegata à Mayero verba ait: *Castigat* (supple Apostolus) *hoc ipso etiam impudicos, dum non eos permittit post secundas nuptias ad Ecclesiæ regimen dignitatemque Pastoris assumi, datque hujus rationem. Nam qui defunctæ uxori benevolentiam nullam servâsse deprehenditur, quo pacto hic Ecclesiæ præfectus esse optimus poterit? imò quibus non criminibus subjicietur indies? Nostis enim profectò omnes, quòd etsi per leges secundæ nuptiæ permittuntur, multis tamen ea res accusationibus patet: nullam ergò occasionē præbere subjectis præsidem vult.* Quod si igitur per leges communi scilicet, non Sacerdotali hominū statui (de hoc enim loqui censendus est ex antecedentibus, dum ait S. Paulū *post secundas nuptias ad Ecclesiæ regimē quenquā assumi nō permittere*) secundæ nuptiæ permittūtur; nihil.

Hæretici damnantes nuptias.

Post secundas nuptias ad Ecclesiæ regimen assumi prohibebātur.

nihilominus tamen ab Apostolo & Ecclesia vetantur tales ad Episcopalem & Sacerdotalem statum assumi, idq; propter Ecclesiæ regimen, & dignitatem pastoritiam? Cur non Ecclesia arcere à statu Ecclesiastico lege lata possit, etiam primò nuptos propter eandem causam? Jam verò quæ amabo! observantia istius ipsius legis Apostolicæ de non celebrandis nuptiis ab Episcopis & Sacerdotibus apud Dissidentes Lutheranorũ Prædicantes reperitur? O quot sunt, qui non uno, non duplici connubio contenti, etiam ad tertium, & quartum festinant! Certè novi ego Prædicantem, qui etsi provectus jam ætate, ad tertias nuptias; novi alterum, qui ad quartas mortuis prioribus eodem Anno 1679. festinavit. Et tamen vultis Evangelici & Apostolici vocari? Et hæc sufficiant ad Mayeri testimonia ex S. Patre. Porrò S. Patrem minimè approbâsse Sacerdotum conjugium, etiam ex sequentibus manifestè patebit.

Prædicantes etiam ad tertias & quartas nuptias festinant.

§. II.

Adferuntur Testimonia ex S. Patre pro continente vita Sacerdotum.

1. Testimonium sit ex iis, quæ in laudem Virginitatis nunquam satis aureo illo ore laudatæ adfert. Etenim cùm oppugnantes Cœlibatum Sacerdotum simul & Virginitatem oppugnent tanquam imposſibilem, cùmq; Cœlibatus Sacerdotum nihil sit aliud, quàm Virginitas perpetua, quidquid S. Doctor in laudem Virginitatis dixit id simul in commendationem Cœlibatûs & Virginitatis Sacerdotalis Statûs tanquem posſibilis, cedit. Cujus in S. Patre encomia ne longus sim breviter percurro. *Hanc* inprimis hom. 63. in Matth. sub medium ait: *ut posſibilem*

lem ostenderet Christus D. sic inquit, sunt qui seipsos castraverunt, quibus verbis latenter eos ad eligendam Virginitatem inducit, dum eam virtutem ipse possibilem astruit. Libro toto de Virginitate cap. 10. *Conjugio multò præstantiorem* ait. Idem verò repetit. Cap. 11. *eandem Angelis ipsis comparat* cap. 12. iteratòque illam conjugio præfert cap. 34. Eandem per cooperationem nostram posse haberi adstruit idque firmat illo Matthæi 19. 12. *Sunt Eunuchi qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cœlorum* cap. 36. Lege & Homil. 51. ex 77. edit. Græcolat. Front. Ducæi quæ est de SS. M. M. Bernice & Prosdore Virginibus, & Domnina eorum Matre ante med. Item homil. 56. quæ est 3. de pœnitentia circa med. Item homil. 57. quæ de Eleemosyna & in decem Virgines, ac homil. 9. de pœnit. ante med. Item homil. 72. quæ est laudatio sanctæ Protomartyris Theclæ prope init. Item hom. 77. quæ est de pœnitentiâ, continentiâ, & Virginitate post med. homil. quoque 70. quòd pro defunctis non sit lugendum apertè meminit voti Virginitatis ante med. m. f. 176. *Nec hoc solùm,* ait, *solitariis scribebat* (supple Paulus) *neq; perpetuam voventibus Virginitatem, sed secularibus.*

Virginitas voluntaria possibilis à Christo D. adstruitur.

Eandē cōjugio præfert. S. Pater Angelis comparat.

Posse haberi per cooperationē nostrā ait.

Eandē in aliis variis Locis deprædicat.

Voventiū perpetuam Virginitatē meminit.

2. Testimonium sit S Patris exemplum, Exempla sanè rei veritatem maximè illustrant. Certum enim est eum fuisse & sacerdotem, & Episcopum: Certum est etiam eum nec in Sacerdotio, nec in Episcopatu, nec unquā toto vitæ tempore conjugali vinculo illigatum fuisse. Certè si quod ait Mayerus, S. Doctor censuisset *sacro ordini non obesse Matrimonium*: Eccur ipsemet ab eodem liber esse voluit? quin perpetuam semper castitatem servavit & coluit, aliisque servandam proposuit? Ut supra vidimus.

Continentia Sacerdotum exemplo S. Patris comprobatur.

3. Testimonium ex Tomo 1. Homilia 2. in Job mihi f. 255. post medium statuit discrimen inter primum illud fundationis Ecclesiæ tempus, quo ob exiguum numerum idoneorum ad tractandas res sacras, animarumque salutem Apostoli, Apostolicique viri illorum discipuli ac Successores compulsi sunt nonnullos conjugatos eligere: at verò successu temporum, adducto virorum idoneorum numero lex Cœlibatûs ab Ecclesia & lata, & observata est, ubi etiam explicat illum S. Pauli locum ad Titum 16. *Episcopum oportet unius uxoris esse virum* non eo sensu quo Adversarii comminiscuntur, sed quo illum Ecclesia Catholica intelligit. Sed audiamus S. Patris verba. *Paulus*, inquit, *Apostolus ubi ad Gentes proficiscitur summum virtutis pondus* (scilicet per omnimodam in Episcopis & Sacerdotibus castitatem) *illis non imposuit: sed ubi in orbe adulteriis fornicationibusq; repleto voluit orbis Pastores constituere, & quoniam virtutes* (præcipuè castitatis) *rarò inveniantur, Episcopos ordinans, Tito dixit, Constitue Episcopos sicut ego tibi disposui, si quis est sine crimine. Tit. 1. Porrò irreprehensibile tunc locum non habuit, quandoquidem pietatis vigor deficiebat; Magnum irreprehensibilem esse, medium autem sine crimine esse: Magnum malum in hominibus, vel exiguum bonum & propterea dixit, unius Uxoris Virum: non ea ratione, quod id nunc in Ecclesia observatur* (scilicet legis locò ut infra ait) *oportet enim omni prorsus castitate Sacerdotem ornatum esse.* En quantâ energiâ ait S. Doctor Sacerdotem castitate, & quidem non qualicunque v.g. conjugali, sed *omni* & *prorsus* quidem excludente non tantùm illicitam copulam, sed etiam licitam aliàs conjugalem, *ornatum* non tantùm posse sed debere omninò, quia *oportet esse. Sed* (pergit S. Doctor) *quòd id quandoq; ad eos, qui in*

Explanatur à S. Patre ille loco Pauli Episcopum oportet esse unius uxoris virum.

Sacerdotem oportet omni prorsus castitate ornatum esse.

in fornicatione erant, magnum fuit (scilicet Episcopum & Sacerdotem conversum ab idolis & fornicatione unius uxoris virum) *ideò dicit constitue Episcopos sicut ego disposui tibi, si quis est sine crimine, unius Uxoris Vir, non quòd id legis locò posuerit* (ut scilicet semper id observetur tanquam lex, Episcopos unius uxoris viros esse constituendos) *sed quòd errori ignoscebat,* (id est infirmitati, fragilitati, seu imperfectioni, in qua tum primus ille velut in cunabulis existens status erat, condescendebat) *sciebat enim quomodo florente pietatis verbo suâ industriâ bonum sibi natura vindicabit.* Quasi diceret, florente pietatis verbo, accedente divinæ gratiæ irrigatione, cœlestia sata Justitiæ sole fovente, cum tempore suaptè *naturâ* velut *de industria bonum sibi vindicabit,* edetque Sacerdotale germen, scilicet quòd seposita communi aliàs conjugii lege, aliam sibi statuet, quâ *omni prorsus castitate Sacerdotem ornatum esse oporteat.*

S. Paulus non posuit id Legis loco ut unius uxoris vir sit Episcopus.

4. Testimonium sit ex Tom 4. in Epist. ad Tit. c. 1. hom. 2. supra cit. m. f. 695. *castigat* (Apostolus) *hoc ipso etiam impudicos, dum non eos permittit post secundas nuptias ad Ecclesiæ regimen, dignitatemq́ Pastoris assumi;* ubi postquam ostendisset ex illo textu, *si quis est sine crimine unius uxoris vir ad sanctum Episcopatûs solium subvehi eum, qui habuerit unam uxorem*: nihilominùs tamen ex eodem textu deducit S. Paulum haud permittere quenquam assumi *ad Ecclesiæ regimen, dignitatemq́ Pastoris post secundas nuptias*; siquidem ait, *si quis est sine crimine unius uxoris vir*, qui unam uxorem habuerit, non autem defunctâ unâ duxisset aliam, talem haud assumendum ad Ecclesiæ regimen: datq́; ejusdem rationem ibidem S. Pater; *Quo pacto enim hic Ecclesiæ præfectus optimus esse poterit?*

S. Paulus nō permittit quenquā post secundas nuptias assumi ad Ecclesiæ regimen.

imò quibus non criminibus subjicietur indies? Atque adeò S. Doctor etsi agnoscat Pauli doctrinam fuisse, ut ad Episcopatûs solium assumatur vir unius uxoris duntaxat, non tamen assumendum ad Ecclesiæ regimen, quemquam post secundas nuptias. Hoc verò ipsum dixerat ante præcitato loco, primùm fecit Paulus, quia pro illo infantilis Ecclesiæ ex Gentibus statu, *Summum illis virtutis pondus non imposuit, neq; ea ratione, quòd id nunc in Ecclesia observetur, oportet enim omni prorsus castitate Sacerdotem ornatum esse, neq; id ipsum legis locò posuit, sed quod errori ignoscebat.* Ex parallela igitur & combinatione utriusque citati loci patet manifestè S. Doctorem Catholicam doctrinam de Sacerdotum Cœlibatu & castitate tenuisse.

5. Testimonium sit ex Tomo 1. in Gen. homil. 33. propè init. m. f. 104. *Nunc autem*, ait, *necessarium est, ut debiti memor sim, & vobis satisfaciam, tametsi vos debiti genus ignoretis, utpotè curis multis impliciti & solliciti pro mulieribus & pueris, & quotidianâ alimoniâ, multisq; aliis negotiis. Verùm nos, qui nullis id genus curis turbamur, & vobis debiti memoriam suggerimus, & ad restituendum nos paramus.* Observanda hìc est egregia anthithesis, quam S. Doctor inter conjugatos curis & oneribus conjugalis vinculi implexos, & inter Sacerdotes ab hisce liberos statuit. Ait enim *nos* scilicet Episcopi, Sacerdotes, *nullis id genus curis* scilicet *pro mulieribus, pueris, alimoniaq;* eorundem, quibus uxorati impliciti sunt, *turbamur.* An non igitur hâc sententiâ suâ Cœlibatum & castitatem Sacerdotum egregiè confirmat?

Episcopi & Sacerdotes à conjugalibus curis liberi.

6. Testimonium quo singularem in Sacerdotibus puritatem corporis & animi requiri docet Tom. 5. De Sacerdotio lib. 3. fol. 202. post init: *Idcirco* ait, *necesse est Sacerdotem*

cerdotem sic esse purum, ut si in ipsis cœlis collocatus inter cœlestes illas virtutes medius staret, & lib. 6. f. 220. post initium multa fusè adducit quæ sunt mundi muliebris, quæ *animum Sacerdotis commovere possint nisi is continentiæ austeritate occaluerit.* Ibid. ante med: *Quum autem*, ait, *& Spiritum S. invocaverit, Sacrificiumq; illud horrore & reverentiâ plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus assiduè pertractato, quæro ex te quo illum in ordine collocabimus? quantam autem ab eo integritatem exigemus? quantam religionem?* & post pauca, *neq; solùm ut dixi purum mundumq; Sacerdotem esse oportet, ut qui tali ministerio dignus habitus sit, sed etiam inprimis prudentem.* Et homil. 60. ad pop. Antioch de Sacerdote celebrante Sacrificium ait, *Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem Sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem* (En hic meminit divisionis sacræ hostiæ, quæ etiamnum fit in Sacrificio apud nos) *os quod igni spirituali repletur? linguam quæ tremendo nimis sangvine rubescit.*

Singularis in Sacerdotib9 corporis & animi puritas requiritur.

Sacrificii meminit S. Pater.

Iteratò Sacrificii meminit.

Ac in illo divisionis Hostiæ etiamnum usitatæ.

7. Testimonium sit ex iis quæ pro castitate & cœlibatu vitæ Monasticæ ac religiosæ adfert cùm pluribus locis, tum præcipuè Tom. 5. duplici parænetica Epistola, quas lamentabili stylo, & non tam atramento quàm lacrymis exaravit ad Theodorum Monachum lapsum, suum fœtidum Sacrilegium fucosi Matrimonii larvâ obtegere nitentem. Etenim Ordo & Status Sacerdotalis hoc solo differt à Monachali, vel religioso, quoad continentiam & castitatem, quòd hic quidem solenni voto emisso DEO sese obstringit continentiam virginalem, castitatemque perpetuam servaturum; ille verò non quidem solenni voto ad eam servandam sese obli-

Realem præsentiam Corporis & Sangvinis Christi in Eucharistia agnoscit S. Pater.

Quonam differt status Sacerdotalis à Monachali seu Religioso quoad castitatem servandã.

obligat; implicitum tamen votum in ipsa ratione ſtatûs Sacerdotalis involvit & continet.

Cùm verò Lutherus primus præterito ſeculo malæ reformationis, atque adeò deformationis potiùs dicendæ in Eccleſia Autor, pari impetu, paribusque armis cœlibem caſtamq; vitam Sacerdotum æquè ac Monachorum oppugnârit, atque ipſemet & Sacerdos & Monachus exiſtens, ut autor ita ſimul fautor atq; actor fuerit, ruptis vitæ continentis vinculis, ad conjugii fœdera tranſeundi, ductâ in Matrimonium Virgine DEO dicatâ, hocque illius ſacrilegum facinus pro ſanctiſſimo habeant ejus ſequaces Lutherani, videamus an in hoc paſſu à Mayero Chryſoſtomus Lutheranus meritò dici poſſit?

D. Chryſoſt. duæ Epiſtolæ ad Theodorũ Monachũ lapſum cõmendantur legendæ omnibus Apoſtatis Sacerdotibus & Monachis.

Et ſanè optarem ego quidem ſummum in modum, ut dictas duas paræneticas Epiſtolas attentâ mente, compuncto corde, labentibus ex oculis lacrymis legerent omnes, quotquot autore ac facem ſacrilego Hymenæo præferente Luthero, Angelicæ in caſtimonia vitæ remiſſo nuntio, libidinis tædas Matrimonii cinere doloſo conſpergere præſumsêre. Quaſi nequirent aliter aliquorum incontinentium Sacerdotum ac Monachorum abuſus reſtaurari, quàm ſi tolleretur rectus ac bonus continentiæ uſus! quaſi non aliud remedii gen9 applicari poſſet calore luxuriæ ferventi malignæ voluptatis febri, quàm quoddam Matrimonii antimoniũ? quaſi diſſoluta religioſæ cõtinentiæ vincula, nõ meliùs arctari poſſent, quàm cõjugali fœdere! At ſi & in legitimo matrimonio cõtingat abuſ9, ergòne rectus legitimi Matrimonii uſus tollendus? quid ſi à quopiam diſſolutæ mentis Miniſtro, ſeu Prædicante conjugalia rumpantur vincula? (& verò non unam ſimilem

ruptu-

rupturam ac corruptionem vidisse orbem testantur libri loquuntur Historiæ) quid tum remedii adhibendum? Num ei qui non est contentus una uxore, propter libidinis facibus accensi ferventisq́; sangvinis calorem, concedenda est altera, quin & tertia? Et quidni è mente Lutheri? quandoquidem Lutherus sibi, aliisq́; Monachis, ac universo Clero, propter easdem libidinis molestias concessit unam: quin illud dignum Lutherano tripode effudit, an effutiit? oraculum, *si non vult uxor veniat ancilla.* Insuper Lutheri Dogma est, vota religiosæ castitatis haud à quoquam servari posse: nullum esse de hoc Christi præceptum, humanas has esse Papistarum & Monachorum inventiones: quin *omnib9 præceptum, & plùs quàm præceptum crescite & multiplicamini*: Neminē hominem sine uxore vivere posse, adeò ut eadem uxoris, ac auræ quæ hauritur ad conservandā vitam sit necessitas. Quin ait, *sicut in potestate mea non est, quo minùs sim mas, ita minimè situm est in me, ut sine muliere sim.* In L. de vita cōjugali. Hinc tandem necessariū Luthero consequens est, tam Clero quàm Monachis, ac religiosis viris æq́; ac fœminis, castitatis, virginitatisq́; ligatis votis, licitū esse ea rumpere, atq́; ad sacratiora, scilicet, Matrimonii vota transire. At enim verò multi Prædicantes, aut etiam alii conjugati extra Prædicantum ordinem, sentiunt se quoq; haud posse aut veriùs nolle conjugalem cum una servare continentiā tantam tamq́ue fœdam effervescentis sangvinis tædam haud posse uno restingvi connubio. Igitur recta erit è mente Lutheri sequela, ad plura conjugii vota transeundum esse? At inquies corruptæ mentis sunt hæc deliria: igitur repono tibi corripienda: laxantur fluxæ luxuriæ nervi; proinde arctandi & arcendi: fræna licentiæ resolvuntur; ergo retinenda, verbo mentis & ventris corru-

Causæ ob quas Lutherus sibi alisq́; Sacerdotibus & Monachis uxores cōcessit.

Quantum ex hac Lutheri doctrina absurdū sequatur.

corruptio, non salubrius recipit recipe & remedium, quàm correctivum & correptivum. Verùm enim verò nonne & in voto castitatis ligato Luthero ceterisq; ejus comitibus similes recalcitrantis aselli illecebræ fuêre? Cur non igitur ab eo hic effrenis asellus castigatus, ac in servitutem redactus? exemplo Doctoris Gentium D. Pauli? qui de se testatur. *Castigo corpus meum & in servitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicavero ipse reprobus efficiar.* 1. Cor. 9. 27. Ita nimirum justo DEI Judicio expertus est in se Lutherus, quod verebatur Apostolus: dum enim corpus suum minimè castigabat, castitatem abjecit. Dum illud in servitutem haud redigebat; laxatis licentiæ habenis seipsum, plurimosque alios in præceps egit. Dum prædicando, cœlibem vitam Sacerdotum & Monachorum improbabat, datus in reprobum sensum, simul reprobus est effectus. Sed fortè ea, quæ olim in aliis emotæ mentis deliria habebantur, jam in Luthero velut in summo sapientiæ fastigio, etsi non sine fastidio bonarum mentium, collocanda? quæ olim in aliis effreni licentiæ, ac dissolutæ luxuriæ adscribebantur, hæc in Luthero palmarem virtutis laudē & lauream merentur! Ita sanè! quin insanè! Etenim hoc ipsum quisquis sentit datꝰ est in reprobum sensum, quin reprobus effectus. Tale nimirum tamq; sacrum Evangelium Luthero *caro & sangvis*, non *Pater cœlestis revelavit* Matth. 16. 17. Apostolicus ac Paulinus, vel maximè, quin alter Apostolus volebat audire Lutherus, at non esse; neque enim sese ad normam doctrinæ Apostoli gessit, quam ad Romanos scribens Christianis reliquit cap. 8. *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo JEsu, qui non secundùm carnem ambulant*, ergò qui secundùm carnem ambulant, in iis multum est damnationis.

Lutherus hâc doctrinâ declaravit orbi quòd sit in reprobum sensum datus.

Secundùm carnem enim ambulant.

tionis. Et poſt pauca. *Qui enim ſecundùm carnem ſunt; quæ carnis sunt ſapiunt, qui verò secundùm Spiritum sunt, quæ sunt Spiritûs ſentiunt; Nam prudentia carnis mors eſt, prudentia autem Spiritûs vita & pax, quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo, legi enim Dei non eſt ſubjecta, & infra* V. 12. *Ergo fratres debitores sumus non carni, ut ſecundùm carnem vivamus, ſi enim secundùm carnem vixeritis moriemini, ſi autem Spiritu facta carnis mortificaveritis vivetis.* Feciſſet ſanè Lutherus juxta hoc ultimum Apoſtoli monitum, mortificâſſet ille Spiritu facta carnis, nunquam ad tam reprobum ſenſum de cœlibe & caſtâ Sacerdotum ac Monachorum vitâ reprobandâ delapsus fuiſſet.

Nec Spiritu facta carnis mortificavit.

Quæ itaque ſententia fuerit S. Patris de mutatione vitæ Monaſticæ cœlibis & caſtæ in vitam conjugalem, perpende Mayere? & intellige ex iis quæ in dictis epiſtolis aureo illo ſuo ore æque ac calamo vivis expresſit characteribus. Eam hìc brevitatis causâ non appono: non poſſum tamen non attingere ex poſteriore epiſtola nonnulla, quæ huc plurimùm faciunt: audias enim Lutherum aliosque Sacrilegos ejus exemplo Apoſtatas ita à S. Doctore compellari. *Quis non in te* (Theodore dicam ego Luthere, &c.) *jure miratus ſit poſt repentinam illam mutationem, & rapidum ad meliora transcursum cœleſtis jam verè animæ cœleſtes mores, epularum quidem tibi oblectatio omnis & luxus contemptui erat, deſpiciebatur ſupellex varia atq; ſpeciosa, omnis inanium rerum jactura; ignorabatur totum illud externæ atq; peregrinæ Philosophiæ ſtudium: non diverſis lectionibus ſufficiebat dies, non perpetuæ orationi noctes. Exciderat paternæ ſenſibus suis memoria dignitatis, divitias, oblivio profunda poſſederat, fraterna au-*

D. Chryso stomus redarguit Theodorũ Monachũ lapsum ob desertum castitatis votum.

tem genua complecti, & Sanctorum pedibus advolvi omni nobilitate sublimiùs judicabas. Ista dæmonem perculerunt, ista illum ad certamen evocârunt. Et postea solvens objectiones Theodori lapsi. *Bonum quidem* ait, *nuptias & ipse confiteor, honorabiles inquit nuptiæ & cubile immaculatum,* Hebræor. 13. 4. *Fornicatores autem & adulteros judicat Deus, sed te jam servare non convenit privilegia nuptiarum: Angelorum enim societati junctum semel, illam relinquere, & uxoris laqueis implicari, adulterii crimen incurrere est. Quamvis frequenter hoc ipsum nuptias voces, ego tamen & adulterio illud tantò pejus affirmo, quantò major & melior mortalibus Angelus: Neq; ullus tibi fortè persvaserit dicens, Nihil de non accipienda uxore Dominus præcepit; nec me ignorare confiteor quòd adulterium interdixit, non nuptias vetuit. Verùm in te adulterii nomen accipit, si volueris unquam, quod absit nuptias cogitare; & quid nimirum si nuptiæ tales quibus offenditur Deus, adulterio comparentur* & infrà. *Cùm hæc ita sint, stupere desiste, si nuptiæ pejores adulterio judicantur, quoties Christus offenditur. Atq; ut illud repetam, quod in principio posui epistolæ, si militiæ vincula non tenerent, quis tibi desertionis crimen objiceret? Nunc autem in te nihil penitùs tui juris est, quippe qui tanto Imperatori militare cœpisti: Nam si mulier proprii corporis non habet potestatem, sed vir, multò magis hi, qui Christo potiùs quàm sibi vivunt, conditionem corporis sui habere non possunt.* Agnoscit hìc apertè S. Pater hominem per votum Castitatis Deo dicatum non esse sui juris, sed ipsius Dei. Unde juxta Regulam Juris 51. *Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulteriùs transferendum*, ac proinde is qui voto castitatis Deo dicatus est, non potest ad profanas nuptias descendere, alioqui Dei judicium haud effugiet. *Iste* (pergit S. Pater) *qui nunc Theodore* (Luthere

Obstrictum voto castitatis uxoris laqueis implicari adulterii crimen est. Quin adulterio majus.

Qui Christo potius quàm sibi vivunt conditionem sui corporis habere non possunt.

there ceterique ejus asseclæ) *contemnitur, ipse tunc sine dubio judicabit. Hoc præcipuè cogitemus, prospiciamus illum igneum fluvium, qui ante conspectum ipsius præcedet, & quod qui illis semel traditus fuerit flammis, sperare non poterit requiem, finemq; pœnarum.* Hucusque aureum Os. Plura ne longus sim prætereo. Testatur ille quoque Tomo 5. Lib. 6. de Sacerdotio folio 221. Monachum sibi uni vacantem, *Neq; Liberos, neq; Uxorem, neq; aliud quidpiam id genus animo versare posse.*

Audisti Mayere sensum sententiamque S. Patris de Cœlibatu & casta vita Sacerdotum & Monachorum; agnosce simul, neque in hoc puncto Chrysostomum Lutheranum, sed potiùs verè Romano Catholicum esse.

CONTROVERSIA IX.

De Purgatorio.

APpositè à Matrimonio Clericorum ad Purgatorium descendis Mayere? Nimirum fœdæ Lutheri aliorumque ejus asseclarum libidinum maculæ ex purgatorio igne jure meritissimo indigerent, ni à justo æquè ac severo Judice æterno addictæ rogo, è Divi Chrysostomi sensu immediatè adducto, sine *requie, fineq; pœnarum gehennæ*, crementur flammis.

Ergone pro Purgatorii etiam expugnatione an expurgatione in subsidiū D. Chrysost. trahere niteris? sed haud traxisti, incorruptus testis corrumpi sese nullis permittit

Mayer9 insolenti scomate & dicacitate vocat Tridentinos Patres calefactores.

artibus. Nam ut lingvæ tuæ intemperantiam prætercam, quâ more tuo sine fronte effutis, *Calefactores Tridentinos purgatorium ignem non sine culinarum Monachalium solatio accendere* longa interposita parenthesi, adductis è quopiam Poëtastro aliquot Dysthichis, quem ex illorum numero fuisse apparet, queîs,

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

In quibus illud tibi argutum quod brutum, illud lepidum quod fœtidum, illud acuminosum, quod aculeatum: *Purgatorium* verò *ignem nunquam statuisse hunc Episcopum* inquis, *prolixius ostendere possem, ni Jacobus Laurentius in fabula Papistica infernali tripartita contra Bellarm. & Clarissimus Vir D. Elias Vegelius adversus Leonem Allatium hanc operam jam occupâssent, atq; adeò actum agere te nolle fateris.* Sed quidnam hi præstiterint, de quibus adeò gloriatur Mayerus, luce meridianâ clariùs patebit, cùm ex S. Patre pro Purgatorio Catholico testimonia manifesta in medium adduxero.

Jacobus Laurentius in fabula Papistica fabularum promus cōdus.

1. Testimonium Tomo 2. hom. 32. in Matth. post med. f. 122. Redarguit inprimis inutiles fletus, & nænias super defunctum fieri solitas, cùm credatur quòd vivat post mortem, pro quo etiam orationes instituuntur. *Cur post mortem tuorum pauperes convocas? Cur Presbyteros, ut pro eo velint orare obsecras? Non ignoro te responsurum ut defunctus requiem adipiscatur, ut propitium judicem inveniat.* Ubi S. Pater orationem pro mortuis Presbyterorum, convocationem pauperum in usu fuisse agnoscit, eo fine fieri solitam, ut defunctus requiem adipiscatur æternam.

Orationes pro defunctis fiunt, ut defunctus requiē adipiscatur.

2. Testimonium Tom. 3. hom 61. in Joan. post med. m. f. 115. Iteratò ab inutili fletu super defunctum dehortatur, & ad ea, quæ illi conferre possent, ut eleemosynæ, &

oblatio-

oblationes hortatur. *Quodsi peccator, & qui sæpè numero Deum offenderit moritur, is deflendus est, vel potius minimè cùm nihil illi afferat utilitatis, sed ea facienda quæ ei aliquid conferre possint eleemosynæ & oblationes.* Et paulò post. *Honor enim mortuo non fletus est, non ejulatus, sed hymni, & psalmi, & vita optima.* Deinde subdit. *Vis mortuum honorare? aliâ viâ aggrediendum est, fac eleemosynas.* En hic S. Pater docet animas juvari post mortem eleemosynis & oblationibus.

Pro peccatore mortuo ea facienda, quæ ei aliquid cōferre possunt ut eleemosynæ & oblationes.

Honor mortuo hymni, vita optima, eleemosyna.

3. Testimonium eodem Tomo hom. 21. in Acta post med. f. 235. *Est enim, est, si voluerimus illi (mortuo) leve facere supplicium, itaq; si preces pro illo faciamus continuas, si eleemosynam damus, et si ille indignus sit, Deus nobis placatior erit, si per Paulum alios servavit, & per alios aliis pepercit, quomodo non & propter nos istud ipsum faciet? ex illius opibus, ex tuis, unde volueris juva, instilla oleum, imò aquam, non potest suas eleemosynas sustentare, licet cognatorum. Non habet eas, quæ factæ sunt à se, tametsi factas pro se. Ita cum fiducia tunc illum deprecabitur mulier pretium redemptionis pro illo deponens, quò pluribus peccatis fuit obnoxius, hoc magis opus est illi, eleemosyna non propter hoc autem solùm, sed quòd neq; æqualem habet vim nunc, sed multò minorem. Non est autem par, quod quis ipse facit, & quod per alium facit: Itaq; cùm minor sit ita multitudine maxima faciamus illam, non circa monumenta, non circa sepulchra occupati simus. Assiste viduis, hæc erit Sepulchralis cura maxima, dic nomen, omnes pro illo jube supplicationes facere, & preces, placabit hoc Deum, etiamsi non ab ipso factum sit, sed propter illum, alius autor sit eleemosynæ, & hoc dogma est Divinæ misericordiæ. &c.* Tandemq; addit: *Multas nobis Deus dedit salutis vias, modò ne negligamus.* Et paulò post. *Non frustra oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemosynæ. Hæc omnia Spiritus*

Quò pluribus quis in vita peccatis obnoxius fuit hoc magis opus est illi post mortem eleemosynis.

Multas nobis Deus dedit salutis vias.

Oblationes & Sacrificia pro defūctis nō frustra fiunt.

Spiritus disposuit volens, ut nos invicem juvemus. Vide enim utilitatem ille accipiet per te, & tu per illum contemtis opibus inductus ad faciendum aliquod generosum, & tu illi salutis, ipse verò tibi eleemosynæ factus est autor. Ne dubita, quia erit aliquis fructus suavis. Non simpliciter Minister clamat pro his qui defuncti sunt in Christo, & pro his qui illorum memoriam faciunt ubi etiam expresse meminit Sacrificii pro defunctis. *Quid dicis in manibus est hostia, & omnia præposita sunt, benè ordinata, adsunt Angeli, adsunt Archangeli, adest Filius DEI cum tanto horrore, adstant omnes, adstant illi clamantes, omnibus silentibus, & putas simpliciter hæc fieri, &c. Absit sed hæc omnia cum fide fiunt &c. dum mors illa perficitur, & horrendum Sacrificium, & ineffabilia Sacramenta &c.* Tandem concludit Homiliam hisce verbis.

In Sacrificio memoria defunctorum & vivorum.

Hæc scientes consideremus, quantas consolationes possemus mortuis, pro lacrymis, pro lamentis, pro monumentis præstare, nempe eleemosynas, preces, orationes, ut illi & nos assequamur promissa bona gratiâ & misericordiâ Unigeniti Filii, &c.

4. Testimonium Tom. 4. Homil. 41. in 1. ad Cor. post medium f. 275. *Si autem etiam peccator excessit, propterea etiam lætari oportet, quòd interscissa sunt peccata, & vitio non adjecit, & quoad ejus fieri potest ei succurrere non lacrymis, sed precibus, sed supplicationibus, & eleemosynis, & oblationibus. Non sunt enim hæc temerè excogitata, neq; frustra eorum qui excesserunt in Divinis Mysteriis meminimus, & pro ipsis accedimus rogantes Agnum propositum, qui mundi peccatum tollit, sed ut inde eis sit aliqua consolatio, neq; abs*

Non temerè excogitata sunt, nec frustra ea quæ fiunt pro defunctis ut orationes, eleemosynæ oblationes, atq; ipsum Sacrificium inilloq; memoria mortuorum.

abs re is qui astat Altari dum veneranda peraguntur Mysteria, clamat pro omnibus qui in Christo dormierunt, & iis qui pro ipsis celebrant memorias. Nam si pro ipsis non fierent commemorationes, ne hæc quidem dicta essent. Non sunt enim res nostræ ludi scenici (audiant id ii qui per contemtum sacra Mysteria vocant, ludum scenicum, theatricam pompam &c.) *Absit! hæc enim fiunt ordinatione Spiritûs: His ergo opem feramus, & commemorationem eorum peragamus*, idque probat exemplo Jobi. *Si enim Jobi filios expiabat Patris Sacrificium Job 1. 5. quid dubitas, an nobis pro eis, qui excesserunt offerentibus, eis existat aliqua consolatio? solet enim DEus etiam aliis pro aliis gratificari. Et hoc ostendebat Paulus dicens 1. Corinth. 1. 11. Ut ex multis personis ejus quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis. Ne nos pigeat opem ferre iis, qui excesserunt, & pro eis offerre preces; est enim propositum orbis terræ commune piaculum; Propterea fidenter pro orbe terræ tunc rogamus & cum martyribus eos vocamus, cum Sacerdotibus, cum Confessoribus. Etenim unum corpus omnes sumus, etiamsi sint membra membris splendidiora, & fieri potest ut veniam eis omni ex parte conciliemus à precibus, à donis quæ pro eis offeruntur ab iis, qui cum ipsis vocantur.* Cur ergo doles, cur luges, & lamentaris, quando defuncto tanta potest conciliari venia.

Hæc enim fiunt ordinatione Spiritûs.

Mos cõmemorationis Martyrum, Sacerdotũ, Confessorũ tum & defunctorum, & adhuc viventium in Sacrificio.

Venia omni ex parte conciliari potest defunctis precibus, donis, oblationibus.

Quid clariùs dici poterat pro Purgatorio, pro orationibus, Sacrificio, aliisque faciendis pro animabus eorum qui excesserunt.

5. Testimonium eod. Tom. hom. 3. in Ep. ad Philip. in morali post med. f. 497. Et hic præclarè disserit S. Doctor quo-

quomodo quove pacto juvari à nobis queant defuncti. *Hoc igitur* (defunctis) *lugeamus, opem pro viribus feramus, aliquod ipsis auxilium feramus, exiguum illud quidem, sed quod tamen auxiliari queat. Quomodo? quave ratione? cùm ipsi preces fundentes, tum alios, ut pro ipsis fundant obsecrantes, ac pro ipsis perpetuò dantes eleemosynas pauperibus. Affert hæc res aliquid solatii. Audi enim Deum ita dicentem.* 4. *Reg.* 19. 34. *Protegam urbem hanc propter me, & propter David servum meum. Si sola justi memoria tantùm valuit, ubi opera præterea pro mortuo fiant, quid non poterunt?* Et paulò post declarat id esse ab Apostolis constitutum, adeòque Apostolicam traditionem, ut in sacrificio fiat memoria eorum, qui decesserunt.

Qua ratione auxilium defunctis ferri possit?

Non frustra hæc ab Apostolis sunt legibus constituta, ut in venerandis inquam atq; horrificis Mysteriis memoria eorum fiat qui decesserunt. Noverunt hinc multùm ad illos lucri accedere, multùm utilitatis: Eo enim tempore quo populus universus stat manibus passis ac Cœtus Sacerdotalis, & illud horrorem venerationis plenum incutiens sacrificium, quomodo Deum non placabimus pro istis orantes? atq; id quidem de iis, qui in fide decesserunt. Tum descendit ad Catechumenos. *Catechumeni verò neq; hac dignantur consolatione, sed omni auxilio sunt destituti, uno quodam excepto. Quale verò hoc? licet pauperibus pro ipsis dare: atq; hinc aliquid percipiunt refrigerationis: Vult enim DEus nos nobis mutuum auxilium afferamus.* Vides Mayere quomodo uno eodemque Testimonio D Patris & orationes, ac sacrificia pro mortuis, ac ipsum Sacrificium Novi Testamenti comprobetur? simulque notandum nomen *refrigerationis*, quod mox Testim. 7. recurret.

Apostolica lege cōstitutum est, ut in Sacrificio memoria fiat defunctorum.

Pro Cathechumenis defunctis nō ea omnia fiebāt quæ pro fidelibus.

6. Testimonium ex Liturgia seu Missa ejusdem S. Patris,

Patris, quæ duplex habetur Tom. 5. f. 544. & Tomo 6. f. 508. quod testimonium consentaneum est iis omnibus, quæ jam adducta, in priore quidem ait. *Memento Domine Spiritualis nostri Patris, & totius in Christo fraternitatis nostræ, & omnium, qui præmigrârunt è vita, & Patrum, & fratrum nostrorum.* In altera verò *& pro dormientibus in Christo, memento Domine, ut bonus, servorum tuorum, & quicunq; in vita deliquerunt ignosce, nemo enim sine peccato nisi tu Domine qui potes migrantibus dare quietem.* Memoria de functorũ in Sacrificio seu missa.

7. Testimonium Tomo 5. hom. 69. ad pop. Antioch. ante med. f. 174. Postquam Auditorem exhortatus fuisset, non esse inanem pro defunctis luctum & lacrymas excitandas. Tradit tandem modum juvandi eosdem. *Hos lugeamus, post hos pro viribus clamemus, excogitemus eis aliquid solatii, minimum quidem; clamemus tamen. Qualiter? & quonam modo? orantes & alios precantes, ut pro eis deprecentur, pro eis pauperibus largientes continuè. Habet hæc res aliquam consolationem, audi namq; DEum dicentem* (hic S. Pater repetit dicta alibi V. sup. Testimon. 5.) *Protegam civitatem istam propter me & propter David servum meum: si justi duntaxat memoria tantùm potuit, cùm & opera pro ipso fuerint, quantum valebit?* Hic quoque declarat orationem & sacrificia pro mortuis esse Apostolicum sancitum. *Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis Mysteriis defunctorum agatur commemoratio, sciunt enim illis inde multùm contingere lucrum, utilitatem multam; cùm enim totus constiterit populus, extensis manibus, Sacerdotalis plenitudo & tremendum proponitur sacrificium, quomodo Deum nõ exorabimus, pro his deprecantes, sed hoc quidem de his qui cum fide demigrârunt.* Deinde ait de cathechumenis, *quod omni sunt tali suffragio privati,* Qualiter defuncti juvandi? In tremẽdis Mysteriis sacrificii pro defunctis orare Apostolica sunt sancita. Cathechumeni defuncti juvabantur eleemosynis.

nec enim pro iis Sacrificia fiebant, sed solùm *dabantur eleemosynæ pauperibus, & ex hoc eis præstari aliquid refrigerationis.* Nota iteratò nomen *refrigerationis*: quo apertè præsupponit post hanc vitam dari ignem aliquem purgatorii, siquidem ait dari refrigerationem, refrigeratio enim præsupponit utique calorem atque adeò ignem. Hujus verò quòd pro mortuis oremus causam dat, *vult namq; DEus nos alterum alteri prodesse,* idque confirmat à pari. *Nam quare pro pace mundiq; tranquillitate nos jussit orare? quare pro omnibus hominibus, cùm hic ubiq; sint latrones, & fures, & Sacrilegi, & infinitis pleni facinoribus, & tamen pro omnibus precamur, forsitan aliqua fiet eorum mutatio, sicut itaq; pro viventibus precamur, qui nihil à mortuis differunt, ita pro iis quoq; licet orare. Idq; insuper confirmat exemplo Jobi, Job pro filiis hostias offerebat, & eos à peccatis absolvebat, ne fortè cogitâssent aliquid in corde suo, ita de filiis curam gessit.*

Refrigeratio de functis præstatur.

Causæ orandi pro mortuis à Divo Chrysost. dãtur.

8. Testimonium sit Tomo eodem hom. 70. f. 175. cujus ipse titulus loquitur dari post hanc vitam purgatorium siquidem ait: *Quod pro defunctis lugendum non est, sed orandum.* In hac homilia etiam meminit Ritûs pervetusti, sepeliendi mortuos *cum lampadibus ardentibus, cantuq; ac hymnis & psalmodiis.*

Ritus sepeliẽdi mortuos cum lampadibꝰ ardentibus & cãtu antiquus.

9. Testimonium sit Tomo. 5. lib. 6. de Sacerdotio f. 221. post initium. *Eum enim* inquit: *qui pro civitate? imò verò pro universo terrarum orbe Legatus intercedit, deprecatorq; est apud DEum, ut hominum omnium peccatis fiat propitius, non viventium solùm, sed etiam defunctorum, qualem quæso esse oportet?*

Vides jam Mayere quàm manifestè S. hic Episcopus cum Ecclesia Catholica purgatorium admittat, non verò cum tua confessione rejiciat. Neq;

Neque mihi objicias Sanctum Patrem non meminisse *ignis*, neq; uti nomine *purgatorii*, nec loqui de *tertio aliquo loco* præter cœlum & terram. Etenim sit sanè non esse usum his vocibus *purgatorium, ignis*, &c. (quanquam Centuriatores in 4. seculo ex Chrysost. lymbum Patrum subterraneum esse locum innuunt, qui utique est tertius locus, & quasi intermedius, & diversus à cœlo & inferno) Nihilominus tamen non est dubitandum S. Patrem credidisse dari purgatorium, seu locum aliquem tertium diversum à cœlo & inferno, in quo animæ quæ pro peccatis suis pœnaq; quam pro iis meritæ sunt in hac vita non satisfecerunt, à Divina Justitia ad præfixum ab eadem tempus detinentur, donec ex integro expurgatæ & prorsus immaculatæ redditæ, dignæ sint ingredi Regnum Cœlorum. *Nihil enim coinquinatum intrabit in regnum cœlorum.* Apocal. 21. 27. Hoc inquam eum credidisse manifestè colligitur tum quia expresse utitur hoc nomine *consolationis*, & *solatii*, imò & *refrigerationis* post hanc vitam, quam animabus defunctis præstant suffragia vivorum per sacrificia, oblationes, eleemosynas, orationes, ut vidimus allegatis testimoniis præcipuè septimo. Tum quia ipsa ratio dictat, quòd scilicet, si S. Doctor docet *pro mortuis esse orandum*, si docet *mortuis prodesse, juvariq; eos orationibus, eleemosynis, oblationibus, sacrificiis*; si docet *hæc* inquam *omnia eis adferre aliquid cosolationis, refrigerationis*? sentit & credit profectò eos non esse adhuc in cœlo, quia nemo beatorum in cœlo hisce eget; sed neq; in inferno, quia ibi nihil talia prosunt, ex inferno enim nulla est redemptio. Ergò manifestè & necessariò consequitur S. Doctorem sensisse & credidisse tales mortuos esse in aliquo tertio diversoque ab illis duobus loco: & quia docet eos juvari orationi-

Diluitur objectio quòd S. Pater non sit usus voce Purgatorii vel ignis.

bus, sacrificiis, ceterisque, hæcque illis esse solatio & refrigerationi, necessariò etiam consequitur eum credidisse aliquas pœnas & supplicia à Divina justitia sibi inflictas sustinere pro peccatis, quibus animæ quodammodo purgentur, emundentur, emendenturque ac reddantur expurgatæ, & velut aurum per ignem probatæ, *fiantque tandem salvæ, sic tamen quasi per ignem*, ut ait Apostolus 1. Cor. 3. 15. Siquidem ut dixi *nihil coinquinatum intrabit in Regnum cœlorum.* Tum denique quia de hoc purgatorii igne apertiùs loquuntur alii SS. Patres, ut Augustinus, Origenes, Basilius, Ambrosius, ceterique quos videre est apud Bellarm. Coccium in thesauro Catholico, Gaulterium in tabula Chronographica, aliosque quorum SS. PP. aliqui fuêre coætanei, alii verò S. Chrysostomum præcesserunt ætate, ut non dubitandum sit quin cum eisdem & ipse senserit etsi non fuerit usus hac voce *purgatorius ignis*: Etenim similes voces quæ in Scriptura claris disertisque verbis haud leguntur, successivè inventæ & substitutæ sunt rebus, quæ credebantur simpliciter à fidelibus in Ecclesia: hæresibus præsertim novis exorientibus, ut patet de voce *Trinitas, Persona, Omousios*, seu *consubstantialis*: cùm itaque primus Aërius Arianus, qui vixit circa annum 350. docuerit viventium sacrificia, orationes, & jejunia defunctis nihil prodesse, ut testatur Epiph. Augustin. Isid. Damasc. Deinde verò circa annum 600. Armenii quoque negaverint purgatorium, ut testatur Guido de Armeniis, non est mirum Ecclesiam tum temporis opponendo sese fervori hæreticæ contradictionis frequentiùs usurpare cœpisse nomen purgatorii.

Novis in Ecclesia exorientibus hæresibus novæ voces introductæ.

Concludis ad extremum Mayere hanc Controversiam agnatâ tibi cavillandi, sugillandi, ac proscindendi Papistas,

pistas, seu Catholicos immoderantiâ; adducisque pro colophone Cardin. Bellarm. effatum de Purgatorio Lib. 1. c. 15. tibi p. 404. quòd scilicet, *qui non credit Purgatorium esse, ad illud nunquam sit perventurus, sed in gehenna sempiterno incendio sit cruciandus.* Verùm hæc verba haud reperiuntur cap. 15. nam illo libro non habet tot capita, sed undecim duntaxat, & quidem capite undecimo ibidē reperiuntur. Nihilominus hæc sententia Bellarmini vel ideò firma & inconcussa manet, quia nec à te Mayere, nec ab Amesio Calviniano, in Bellarmino enervato, nec à quoquam alio solidis argumentis non dico eversa, sed nequicquam labefactata: Stat enim firmum atque inconcussum: Quod is qui non credit quod DEUS revelavit, credendumque omnibus per Ecclesiam Catholicam proposuit, salvus esse non possit: Hæc enim sunt duo fidei orthodoxæ principia, hæc firmamenta salutis: Atqui qui non credit purgatorium esse, non credit id quod Deus revelavit, atque per Ecclesiam Catholicam credendum omnibus proposuit. Ergò qui non credit Purgatorium esse salvus esse non potest. Recta igitur est sequela Bellarmini: *Quod qui non credit purgatorium esse, ad illud nunquam est perventurus, sed in gehenna sempiterno incendio cruciandus*: Etenim quòd Purgatorium sit, DEUM revelâsse, & per Ecclesiam Catholicam credendum omnibus propositum esse, à Bellarmino solidis nec à quoquam solutis, solvendisve argumentis est demonstratum

Bellarmini dictum de Purgatorio firmatum.

CON-

CONTROVERSIA X.
De Sanctorum in Cœlis Honore & Invocatione.

§. I.
Diluuntur Argumenta Mayeri.

HAnc tu Mayere controversiam imperito, an impudente ore & oratione vocitas *Hagiolatriam ex Tripode Tridentino Apolline loxio prodire.* Quasi à te primùm Ecclesia Catholica docenda foret, distinguere inter Latriam & duliam, neque illam distinctionem cum Augustino super Genes. 61. dudum posteris tenendam tradidisset: Nesciatque proinde illam soli Deo, hanc ejus servis & amicis in gloria cœlesti cum illo regnantibus tribuendam esse. Promittis itaque te *de meliore metallo vocem Chrysostomianam* oppositurum Tridentino tripodi. Videamus an promissi fidem facias.

1. Locus est quem citas ex Tomo 1. in ps. 4. Quo in loco maximam vim ponis in illis verbis S. Doctoris, quibus ait: *Tunc maximè te (Deus) audiet quando neminem rogaveris, &c.*

Quænam sit doctrina Conc. Trident. de cultu & invocatione Sanctorū explicatur.

Sed locus hic contra nos nihil omninò facit, nam inprimis Doctrina nostra in Concilio Trident. declarata sess. 25. est per expressum. Hæc 1. *Sanctos unà cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre.* 2. *Bonum atq; utile esse suppliciter eos invocare ob beneficia impetranda à Deo.* Toto autem hoc textu à te citato S. Doctor nequidem meminit Sanctorum in Cœlo cum Christo regnantium, multò minùs quidpiam contra eorundem pro

pro hominibus orationes in cœlo agit, aut quòd haud sit bonum ac utile eos suppliciter invocare &c.

Deinde perspicienda est intentio S. Doctoris allegato loco loquentis. Est autem hæc. Exponens S. Pater Auditori illa psalmi verba: *Cum invocarem exaudivit me DEUS*, ad attentam, sedulam & ferventem orationem & preces Auditorem aureâ suâ, quâ pollebat, facundiâ hortatur, ostenditque quàm facilis sit in exorando Deus, *qui nullum à se rejicit, qui non quærit linguæ elegantiam, nec verborum compositionem, sed animæ pulchritudinem &c. Videas* ait, *quanta facilitas &c.* Sumptoque argumento à contrario ostendit, non ita se habere homines, apud quos & dicendi facultas requiritur, nec facilis accessus habetur. *Hic autem* inquit, *solâ sobriâ & vigili mente opus est, Deus nobis semper propè est*, atque ideò semper & ubique cum illo loqui possumus. *Ut non opus sit*, ait, *janitoribus, qui te introducant, non dispensatoribus, non procuratoribus &c. Sed quando ipse per te ipsum accesseris, tunc*, ait, *maximè te audiet, tunc quando neminem rogaveris.* Exaggerat verò S Doctor Auditori eam rem ideò, ut nullum illi excusationis in ferventi & continua oratione ad Deum relinquat locum: quod etiam ex sequentibus colligitur.

Quàm facilis Deus in audiendis nostris orationibus.

Patet itaque quòd nihil hìc agat de SSm in cœlis oratione, sed potiùs de precibus justorum hujus vitæ solùm, neque enim rectè ex illis præcipuè verbis, *tunc maximè te audiet, quando neminem rogaveris* inferas, Ergò Sanctorum in cœlis oratio non est invocanda; aliàs posset etiam quispiam ex ejusdem verbis, quibus dicit, *si vel in corde locutus fueris, & eum ut oportet vocaveris, vel tunc quoque facilè annuit* inferre, quòd oratio externa vocalis non sit necessaria, sed sufficiat interna corde Dei invocatio.

Denique

Deniq; quòd hoc loco S. Pater minimè intendat invocationi Sanctorum contravenire, eamque tollere patebit ex ejusdem pro invocatione Sanctorum testimoniis pluribus infrà allegandis, aliàs sibi ipsi coontradiceret, quod quis de aureo illo Ore dicat?

Chananæa mulier exauditur à Christo Domino sine Mediatore aliquo Apostolorum.

2. Locus contra Invocationem SS. quem Mayerus adfert, est Tomo 2. hom. 17. ex variis in Matth. locis de Chananæa muliere differens ait: *Dic mihi mulier quemadmodum ausa es, cum sis peccatrix & iniqua accedere ad Dominum? Ego inquit novi quid agam? vide prudentiam mulieris, non rogat Jacobum, non obsecrat Joannem, neq; pergit ad Petrum, non intendit Apostolorum chorum, non quæsivit mediatorem &c.* Sed neque hoc loco m. f. 488. Mayere quidquam proficis: Etenim estne in dicta S. Patris sententia vel verbulum de Sanctorum in cœlis cum Christo regnantium oratione? Nonne Jacobus, nonne Petrus, & ceteri Apostoli & pro tunc cum Chananæa accessit, erant viatores in terris, non in cœlis comprehensores? Nos autem quærimus an Sancti in cœlis DEum videntes invocandi? Demus Chananæam mulierem non rogâsse Jacobum non obsecrâsse Joannem, Ergòne rejecta invocatio Sanctorum? Ergò non sunt invocandi Sancti? Si hæc sequela apud te Mayere est bona, igitur & hæc bona sit necesse, Joan. 12. 20. & sequent. *Erant quidam Gentiles ex his qui ascenderunt ut orarent in die festo. Hi ergò accesserunt ad Philippum, & rogabant eum dicentes: Domine volumus JEsum videre: venit Philippus & dicit Andreæ, Andreas rursum & Philippus dixerunt JEsu, JEsus autem respondit eis dicens, venit hora ut clarificetur filius hominis &c.* Ergò Sancti sunt invocandi: quid enim est invocare Sanctum quàm rogare? Gentiles autem rogârunt Philippum,

Gentiles ut videant JEsum, utuntur mediatore Philippo Jo. 12.

pum, hic Andream, uterque JEsum, JEsus autem exaudiit eorum petitionem. Vides Mayere quàm vana & aurâ leviora sint tua argumenta?

3. Locus quem contra invocationem SS. citas est Tom. 4. hom. de profectu Evang. ubi ait. *Non opus est tibi Patronis apud DEum, neque multo discursu, ut blandiare aliis; sed licet solus sis, patronoque careas, & per teipsum DEum preceris, omninò tamen voti compos eris, neque tam facilè annuit DEus, cùm alii pro nobis orant, ut cum ipsimet oramus, etiamsi plurimis pleni simus malis.*

Neq; hic locus pro Mayero contra nos militat, nam neque hìc fit ulla mentio orationis Sanctorum in cœlo cum Christo regnantium, sed solùm de precibus justorum in hac vita. Deinde legenti locum illum m. f. 538. patebit S. Patrem hìc ut & primo & secundo loco, hortari Auditorem ad sedulam & frequentem orationem: ait enim paulò antè *semper enim orandum est, & in afflictione, & in prosperitate, & tam ei qui in tribulatione, quàm qui in bonis* post pauca, *exauditus es, gratias age quòd exauditus es, non es exauditus persevera ut exaudiaris &c.* Ex consequentibus deniq; manifestè patet, quòd S. Pater loquatur de precibus hominum hujus vitæ; adducens enim exemplum Chananææ mulieris Matth. 15. clamantis post JEsum ait, *quòd Apostolos pro illa orantes repulerit*, illius autem *vocem exaudierit.* Neque verò inde liceat argumentari Christus D. repulit Apostolos deprecantes pro Chananæa, ergò rejecit invocationem SS. quia etiam ex exemplo supra citato Joan. 12. de Gentibus & Philippo & Andrea argumentabitur quis, Christus D. non rejecit Philippum, & Andream pro Gentibus deprecantes, Ergò non rejecit invocationem Sanctorum.

Oratio cōtinua, commendatur.

Verùm enim verò ut manifestiùs mens S. Patris unicuique cordato & veritatem amanti pateat, explicet semetipsum: Adduco igitur egregium testimonium ex Tomo 4. hom. 1. ad Thess. f. 576. ex quo manifestè constabit quòd non absolutè & simpliciter rejiciat preces Sanctorum & Justorum pro aliis; ait itaque loquens de precibus Sanctorum in hac vita, de qualibus & in allegatis tribus locis à Mayero loquitur: *Bonum est frui SS. precibus, sed cùm ipsi quoq; fuerimus intenti operi, ne te eò redigas, ut opus habeas: Nec ego quidem hoc volo, sed opus semper habemus si sapiamus. Paulus non dicebat quid mihi opus est precibus, etiamsi qui precabantur non erant eo digni, imò verò ne pares quidem: & tu dicis quid mihi opus est precibus? Petrus non dixit quid mihi opus est precibus, oratio enim inquit fiebat, sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Act. 12. Et tu dicis quid mihi opus est precibus? Propterea tibi opus est, quoniam existimas te opus non habere? etiamsi fueris sicut Paulus, opus habes precibus. Ne te extollas; ne reddaris humilis: Sed ut dixi si simus quidem intenti operi, ipsi efficiunt, & quæ fiunt ab ipsis pro nobis preces.* (En efficaciam Sanctis illorumque precibus tribuit) *Audi Paulum dicentem Act. 12. Phil. 1. Scio enim quod hoc mihi proveniet ad salutem per vestram orationem & subministrationem Spiritûs Jesu Christi, & rursus adjuvantibus & vobis in oratione pro nobis ut ex multis personis ejus, quæ in nobis est donationis per multos gratiæ agantur pro nobis 1. Cor. 1. Et tu dicis, quid opus est oratione? Sin autem simus pigri, nemo nobis prodesse poterit. Quid profuit Jeremias Judæis, non ter ad Deum accessit, & ter audivit? non preceris nec roges pro populo isto quoniam non te exaudiam. Quid Sauli profuit Samuel? non eum luxit ad extremum diem, non solùm pro eo oravit 1. Reg. 15. Quid profuit Israelitis? nonne*

Sanctorum in hac vita preces nobis prosunt, cùm & nos eisdē cooperamur.

dicebat absit ut precem intermittens orare pro vobis. Non omnes perierunt? nihil prosunt inquis preces? Imò verò valdè prosunt, sed quando nos quoq; aliquid agimus. Nam simul agunt preces & opem ferunt, simul autem agit quispiam & opem fert, ei qui ipse operatur. Sin autem maneas piger & otiosus, ex eis non magnam accipies utilitatem. Et paulò post. *Vis scire quantum prosint preces? Audi Cornelium, Tabitham, Act. 9. Audi etiam Jacob. dicentem Labano. Nisi timor Patris mei esset mihi, vacuum me dimisisses Gen. 3. Audi autem Deum quoq; rursus dicentem: Protegam hanc Civitatem propter me & propter David servum meum 4. Reg. 19. Sed quando? tempore Ezechiæ qui erat justus.* Ostendit deinde fusè quòd quando peccata hominum prævalent, Deus Justorum preces non exaudiat, idque probat illo Ezech. 19. *Si stent Noe & Job, & Daniel non eripient filios suos & filias, & rursus, si steterit Moyses & Samuel Jer. 15.* Tandemque concludit: *Cùm hac ergò sciamus, neq; preces Sanctorum contemnamus, neq; totum in eas conjiciamus, tum ne pigri simus, & socordes, & temerè insidiis circumveniamur, tum ne à magno lucro excidamus, sed hortemur ad orandum, & ad manus pro nobis porrigendas, & ipsi virtutem sectemur, ut bona possimus assequi promissa iis, qui ipsum diligunt gratiâ & benignitate Domini Nostri JEsu Christi.* Hoc ipsum clariùs patet ex Tomo 2. hom. 5. in Matth. 2.m.f.23. ubi postquam eadem exempla, quæ loco immediatè citato præmissa, adduxisset, de Ezech. Jerem. Samuele, ait, *Non igitur oscitantes & desides ex aliorum meritis pendeamus. Habent enim vim pro nobis, & quidem maximam orationes supplicationesq; SS. sed tunc profectò cùm nos id ipsum per pœnitentiam postulamus, & ad studia meliora confugimus,* & infrà. *Et hac dicimus, non ut supplicandum Sanctis esse nege-*

Justorum preces à Deo aliquando non exaudiuntur eò quòd peccata prævalent aliorũ.

Habẽt vim maximam orationes SS. sed cùm id ipsũ per pœnitentiã postulamꝰ.

negemus, sed ne nosmetipsos in otium ac desidiam resolvamus, & dormientes ipsi aliis tantummodo nostra curanda mandemus, Similia habet Tomo 1. in Ps. 48. f. 369.

Ex his igitur patet S. Patrem nequaquam citatis à Mayero locis, reprobâsse orationes Sanctorum in cœlis, quia nihil de his hìc & nunc agit, sed de orationibus in terris existentium justorum, quòd quidem sine his absolutè possimus nostras preces Deo offerre, nihilominus neq; has contemnendas esse, *multùm enim nobis prosunt, si & ipsi non fuerimus pigri, sed operi intenti.*

Cadis igitur causâ tuâ Mayere; neq́ue enim id demonstrâsti, quod promisisti, monetam D. Chrysostomi auream falsificâsti, quia tinnitum æreum, non auream Chrysostomi vocem resonantem tuum dedit metallum. Audi jam de meliore metallo, quia veram verè aurei nostri Doctoris vocem de honore & invocatione Sanctorum in cœlis: hancq́ue orthodoxæ doctrinæ consonam ingenuè proba.

§ II.

Adferuntur Testimonia S. Doctoris pro Honore & Invocatione Sanctorum.

In Missæ Sacrificio olim usitata memoria & Invocatio Sanctorum præcipuè Sanctissimæ Dominæ nostræ semper Virg. Mariæ.

I. Testimonium sit ex ejus Liturgia seu Missa quæ habetur Tomo 5. m. f. 544. Hic inpr. non longè ab initio Sacerdotem sic orantem repræsentat, *In honorem & memoriam superbenedictæ gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ & semper Virginis MARIÆ cujus deprecationibus suscipe Domine hoc sacrificium in supercœleste altare tuum.* Post interjectis aliis Diaconum sic orantem. *Sanctissimæ, intemeratæ, superbenedictæ Dominæ nostræ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ cum omnibus Sanctis memoriam celebrando, nosmetipsos*

ipsos, & ad invicem, & omnem vitam nostram Christo DEO commendemus. Et interiùs Sacerdotem benedictionem populis sic impertientem. *DEus per intercessionem Sancti gloriosi Apostoli & Evangelistæ (hujus) det tibi verbum ad evangelizandum eum, qui evangelizatur virtute multa.* Postmodum verò Diaconum dicentem *Angelum pacis fidelem ducem, custodem animarum & corporum nostrorum à Domino postulemus.* DeindeSacerdotem his verbis utentem multis interpositis *S. Joannis Prophetæ Præcursoris & Baptistæ, Sanctorum & nominatissimorum Apostolorum, & Sancti hujus cujus memoriam agimus, & omnium Sanctorum tuorum supplicationibus visita nos DEus.* Et propè finem eidem Sacerdoti hanc attribuit gratiarum actionem erga DEum. *Gratias tibi agimus clementissime Dominator, Benefactor animarum nostrarum, quoniam & præsenti hac die cœlestibus & immortalibus Mysteriis nos dignos fecisti. Tu dirige viam nostram, corrobora nos in timore tuo omnes, tuere vitam nostram, gressus nostros firma orationibus & supplicationibus gloriosæ DEI Genitricis & semper Virginis MARIÆ atq; omnium Sanctorum tuorum.* Similia habentur & in altera Missa quæ habetur Tomo 6. m. f. 508.

2. Testimonium ex Tomo 1. sermone de Genesi & interdictione Arborisad Adam f. 210. ante finem. *Mors per Adam, vita per Christum, Hevam serpens seduxit, Maria Gabrieli consensit, sed seductio Hevæ attulit mortem, consensus Mariæ peperit à seculo Salvatorem? Restauratur per Mariam quod per Hevam perierat, redditur per MARIAM vita quæ per Hevam fuerat interempta.* Quanta hæc encomia, quantæ panegyres datæ à S. Patre B. V. Mariæ, quid autem hæ ipsæ designant aliud, quàm honorem & cultum singularem Sanctissimæ Dei Parentis.

Per B. Virg. Mariam restauratur quod per Evam perierat.

Huc

Huc revoco ea quæ superiùs Controversiâ 3. attuli ab eodem S. Patre in laudem ejusdem nunquam satis laudabilis Matris DEI ex Tom. 2. in cap. Matth. 1. hom. 4. f. 17. Item f. 308. Item Tomo 1. hom. in Ps. 44. f. 356. Item Tomo 5. Orat. 1. in Annunt. f. 909. Item in Liturgia sacra Tomo 2. f. 545. sæpius eandem invocat. *Defende* inquit, *serva, miserere, custodi nos DEus gratiâ tuâ, & Sanctissimæ & incontaminatæ, super omnes benedictæ gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ & semper Virginis MARIÆ cum omnibus Sanctis memoriam agentes &c.* Huc spectat ejusdem oratio ibidem citata ad SS. DeiParentem. *Ave igitur Mater, cœlum, puella, Virgo, thronus Ecclesiæ nostræ, decus, gloria, & firmamentum assiduè pro nobis precare JEsum Filium tuum & Dominum nostrum, ut per te misericordiam invenire in die Judicii, & quæ reposita sunt iis qui diligunt DEum bona consequi possimus.*

Oratio S. Chrysostomi ad B. V. M.

3. Testimonium Tom. 3. oratione de B. Philogonio f. 387. initio. *Etenim si qui Patri Matrive maledixit morte moritur; Profectò clarum est eum, qui benedixerit illis vitæ præmia recepturum, & si iis qui juxta naturam parentes sunt, tantam debemus præstare benevolentiam, multò magis id præstandum iis, qui juxta Spiritum sunt parentes; Potissimùm verò quum vitâ defunctos, nostra laudatio nihilo reddat illos gloriosiores, nos verò congregatos, tum qui loquimur, tum qui audimus reddat meliores: Nam ille quidem subvectus in cœlum, haud quaquam egere potest humanis laudibus, ad feliciorem, magisq́ duraturam quietem profectus. Ceterùm nos qui hactenus hìc versamur, multaq́ opus habemus exhortatione, illius egemus encomiis, quo videlicet ad ejus imitationem excitemur. Quapropter sapiens quidam hortatur dicens, memoria justi cum laudibus. Prov. 10. 7. Non*

Sancti vitâ functi tanquam nostri parentes in Spiritu honorãdi.

quasi

quasi illi qui decesserunt, sed ii potius . qui res eorum gestas laudibus vehunt maximam inde percipiunt utilitatem. Quoniam igitur hâc ex re tantum nobis lucrum obvenit obtemperemus neq; recusemus.

4. Testimonium Tom. 6. homil. de S. Pelagia V. & M. f. 109. post medium. *Quam ob rem precor vos & hortor, ut semper Sanctam hanc Virginem in memoria & mente habeatis, neq; solemnitatem hanc celebrem dedecoretis, non deniq; fiduciam nostram ex hoc die festo ad nos proficiscentem imminuatis. Etenim non temerè cum Græcis differentes, hujus diei festi celebritate gloriamur, eamq; objicientes erubescere illos facimus, quum dicimus, quemadmodum urbem integram ac totam, tantumq; populum puella una mortua singulis annis ad se attrahit, idq; post tam multos annos, neq; tempus ullum honoris hujus seriem interrupit,* & paulò post. *Honorâsti Martyrem præsentiâ tuâ, eandem illam & proximorum tuorum emendatione honora.* Tandẽ concludẽs ait. *Ita enim & hujus diei festi gustum maximum percipiemus, & Sanctam Martyrem ad majorem benevolentiam provocabimus, vero honore illam prosequentes. Quæ majorem etiam voluptatem capiet, si fructum aliquem & utilitatem animas juvantem adepti redierimus, quàm si huc venerimus, & postea tumultuati simus. Faxit DEus hujus Sanctæ Virginis, & eorum qui similiter certaverunt, orationibus ac precibus, ut & hæc, & alia, quæ dicta sunt diligenter memoriâ teneatis, & ut ad opus ipsum omnia conferentes, in omnibus ad finem usq; DEO ipsi grati simus.* En hic S. Pater apertè meminit orationum & precum S. Pelagiæ & aliorum qui similiter certaverunt.

Hortatur S. Pater ad cultum S. Pelagiæ V. & M.

Optat idẽ ut orationibus & precibus S. Pelagiæ Auditor ab eo dicta diligenter memoriâ teneat.

5. Testimonium Tom. 5. de Providentia Dei orat. 2. ad fin. f. 269. apertè ait sanctos amicos Dei, majorem precandi

Sanctorum Amicorum Dei precandi major apud Deum libertas. candi libertatem habere apud Deum. *Precibus verò* inquit *Sanctorum amicorum Dei quorum precandi libertas multò* plus habet (seu ut in aliis edit. legitur) *valet quàm sermones nostri, fiat, ut omnes nos, ac quicunq; ad plenitudinem Ecclesiæ pertinent, his liberati malis pro tribunali Christi cum libera securitate stemus cui sit gloria. Amen.*

6. Testimonium Tom. 6. Homil. de S. Martyre Bar-
SS. Martyrum memoria habenda. laam f. 171. *Ne oro obtestorq; vos, ne salutem nostram ita negligamus, sed mentibus nostris omnes Martyres conditos teneamus, unà cum sartaginibus, unà cum lebetibus, unà cum aliis suppliciis, & quemadmodum pictores imaginem sæpè fumo ac fuligine, longoq; tempore inobscuratam detergunt ac mundant, sic tu Sanctorum Martyrum utere memoriâ dilectissime, quum obrepentes seculares curæ tuam mentem inobscurârint, eam per Martyrum memoriam deterge.* Paucis verò interjectis imitationem cum veneratione piaque re-
Imitandi & honoribus prosequendi. cordatione copulari vult, dum ait: *Ita sanctos illos imitemur, ita fortes bellatores, coronatos Athletas, DEI amicos honoribus prosequamur, & cùm eandem per viam cum illis incesserimus, easdem cum illis coronas consequemur.*

7. Testimonium Tom. 5. de incomprehensibili Dei
In Sacrificio Missæ SS. Angeli Domino genua flectunt & Archangeli rogant pro nobis. natura f. 467. prope finem, ubi postquam populum adhortatus fuisset, ut assiduus sit in sacrificio Missæ ob efficaciam communis orationis, graphicè describit, quomodo S. Angeli & Archangeli pro nobis apud DEum orent. *Tempore illo mi frater carissime non solùm homines clamorem illum horribilem reddunt, sed etiam Angeli Domino genuflectunt, & Archangeli rogant. Habent sibi tempus id idoneum, habent sacram illam oblationem in favore. Itaq; ut homines ramos olearum gerentes, movere Reges consueverunt, eoq; arboris genere misericordiam commemorant & humanitatem,*

tatem, sic Angeli tunc pro ramis oleagenis Corpus D. ipsum protendentes rogant pro genere humano, quasi dicant: Pro his Domine rogamus, quos tu adeò dilexisti, ut pro eorum salute mortem obires, animam in cruce efflares, pro his supplicamus, pro quibus corpus hoc immolâsti, &c.

8. TESTIMONIUM Tomo 3. sermone in Juventinum & Maximum Martyres post initium f. 390. *De Martyribus inquam qui semper in eodem manent vigore, semper in eodem juventutis flore sunt, semper suæ gloriæ fulgorem emittunt, & radios, quod scientes non aliter priscos, aliter recentiores colitis sanctos, sed eadem alacritate, eodem amore, eodem affectu colitis omnes & commendatis. Non enim exploratis tempus, sed exquiritis animi fortitudinem, pietatem, fidem invictam, zelum incitatum ac fervidum, & eas virtutes, quas præseferunt Sancti, ob quorum honorem hodie convenimus.* Et in fine ait: *Ideò sæpe eos invisamus, capsulam attingamus, magnaq; fide reliquias eorum complectamur, ut inde benedictionem aliquam assequamur. Etenim sicut milites vulnera, quæ in prælius sibi inflicta Regi monstrantes fidenter loquuntur, ita & illi in manibus abjecta capita gestantes & in medium afferentes, quodcunq; voluerint apud Regem Cælorum impetrare possunt.* En quàm apertè hic S. Pater meminit, & cultûs honorisque Sanctorum & venerationis reliquiarum eorundem, & tandem Orationis in cœlis pro nobis.

Eodem affectu coluntur Sancti tam Prisci quàm recentiores.

SS. absecta capita in manibus gestantes quodcunq; voluerint apud Regẽ cœlorum impetrare possunt.

9. TESTIMONIUM Tomo 5. in S. Martyrem Ignatium Antioch. Archiepisc. Romam abductum &c. in fine f. 689. *Cum omni gaudio atq; lætitia sacrum hunc locum frequentem, ut contubernii mensæq; cœlestis participes cum Sanctis fieri valeamus, precibus ipsorum Sanctorum, & gratiâ, ac benignitate Domini nostri Iesu Christi.*

Precibus Sanctorũ & gratia Domini nostri JESU Christi impetratio.

En quomodo hìc hortatur ad colendum Sanctos frequentatione locorum illis sacrorum, & precum Sanctorum pro nobis meminit. Plura hìc ex eodem S.Patre testimonia de Sanctorum cultu, illorumque precibus ad Deum pro nobis adferri possent, sed quia à S.Patre & SS. ipsorum in cœlis regnantium, & reliquiarum eorundem in terris manentium cultûs crebrior fit mētio: ideò sequitur.

§. III.

Adferuntur plura Testimonia ex S.Patre de Sanctorum Veneratione in sacris illorum Reliquiis & Imaginibus præcipuè verò in sancta Cruce ipsius Christi Domini.

Quamvis equidem nihil de hac re ex professo tractaverit Mayerus in suo libello, quia nihilominùs est connexa cum veneratione & cultu Sanctorum, & quia multùm cōtra hanc quoq; venerationem insurgunt Adversarii, ideò eandem manifestis S. Patris testimoniis confirmandam hìc esse conveniens existimavi. Sumamq; initium à Veneratione S. Crucis.

Consuetudo jejunii tēpore certo die Crucis Christi ad venerandum proponendæ.

1. Testimonium Tomo primo sermone in pretiosæ vitalisq; Crucis veneratione media hebdomada jejuniorum f. 623. *Venit nobis* (inquit) *anniversarius dies omni religione colendus, atq; illustris, Sanctorum Jejuniorum qui & ter beatam vitalemq; Conservatoris nostri JEsu Christi crucem profert, & ad venerandum proponit, & eos quia eam syncero corde, castisq; labris venerantur, atq; Sanctos efficit ad stadii sanctorum jejuniorum cursum paratiores robustioresq; declarat. Quia igitur hodiernus dies pretiosæ Crucis venerationi constitutus est, huc adeste omnes, eam cum metu atq; desiderio amplectamur. Resurrectionis enim Christi splendorem emittens donis muneribusq; suis omnes illustrat & sanctificat, ob eamq; causam eam completi in animis nostris gaudio salutemus.*

Usus osculandi crucē.

Usus salutandi crucē.

mus. Hodiè cœli atq; terræ incolæ ingenti lætitia afficiuntur, propterea quòd illustris vitalisq; Christi crux proponitur, cujus vi Dæmones fugantur, morbi profligantur, caliginosæ obscuræq; tenebræ pelluntur, omnesq; orbis terræ fines illuminantur. Hodierna die Christi Ecclesia alter Paradisus esse monstratur, quæ & sanctum pretiosæ crucis lignum proponit, & Passionis Christi præsidium crucem facit, & ejusdem resurrectionis præmium. Hodiè Propheticum verbum completum est &c. Quid clariùs dici poterat de veneratione sanctæ crucis.

Vi crucis dæmones fugantur, morbi profligãtur, tenebræ pelluntur, omnes terræ fines illuminãtur.

2. Testimonium Tomo quinto in demonstratione *adversus Gentiles, quòd JEsus Christus sit DEus f. 481. Veruntamen hoc maledictum (ejusmodi erat crux ante Redemptoris Passionem) hoc abominabile, hoc extremi supplicii symbolum, crux diadematibus & coronis clariùs factum est. Neq; enim sic Regiâ coronâ ornatur caput ut cruce, quæ omni cultu dignior, & quam omnes prius abhorrebant ejus figuram tantoperè quærunt, atq; adeò ubiq; ea invenitur apud Principes, apud subditos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud servos, apud liberos, subinde ea omnes se signant inscribendo in nobilissimum membrum nostrum. In fronte enim nostra, quasi in columna quotidiè figuratur, sic in sacra Mensa, sic in Sacerdotum ordinationibus, sic iterum cum corpore Christi in mysticis cœnis fulget. Hanc ubiq; celebrari videre licet in domibus, in foro, in solitudine, in viis, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in navigiis & insulis, in lectis, in vestibus, in armis, in thalamis, in symposiis, in vasis argenteis, in aureis, in margaritis, in murorum picturis, in corporibus brutis malè affectis, in corporibus à dæmonibus obsessis, in libellis, in pace, in diebus, in noctibus, in delicatorum choreis, in Monachorum ordinibus, adeò certatim donum hoc mirabile rapiunt omnes. Mira est hæc gra-*

Non ita regiâ coronâ coronatur caput, ut cruce quæ omni cultu dignior.

Hæc ubiq; invenitur.

Eâdẽ frõs Christianorum signatur.

Us9 ejusdẽ in sacrificio.

In Sacerdotũ ordinationibus.

In sacrificio Missæ.

Crux Christi ubiq; celebrari solita.

Etiã in corporib9 brutis malè affectis.

In corporibus à dæmone obsessis. Donum hoc mirabile certatim rapiunt.

Non fugitur sed amatur.

Omnes de ea solliciti ubique fulget.

tia, nullus confunditur, nullus erubescit, cogitans, quòd maledictæ mortis symbolum fuerit: sed omnes ipso magis ornantur, quàm diadematum coronis, vel multis gemmatis monilibus & torquibus. Et non solùm non fugitur, sed & desideratur & adamatur, & omnes de ea solliciti sunt, & ubiq; fulget, & sparta est in parietibus domorum, in culminibus, in libris, in civitatibus, in vicis, in locis quæ habitantur, & quæ non habitantur. En quantus honor Crucis? idem & nunc viget in Ecclesia Catholica, contra à Dissidentibus planè rejicitur atque pro execrabili habetur!

Crucis usus in regeneratione per Baptismum in SS. Eucharistia

In consecratione Sacerdotum.

In fronte.

Quin ubiq;.

Crucis signatione universa crucis causa vertenda.

Crux formanda non tantùm digito in corpore sed etiam fide in mente.

Dæmones Crucem Christi reformidant.

3. TESTIMONIUM Tom. 2. Homilia 55. in Matthæum f. 192. *Sed veluti coronam, sic læto animo Crucem Christi circumferamus, Omnia enim quæ ad salutem nostram conducunt per ipsā cōsummantur. Nam cùm regeneramur, Crux Domini adest, quum sacratissimo alimur cibo, quum in ordine consecrandi statuimur, ubiq; ac semper id victoriæ insigne nobis assistit. Quapropter & in penetralibus, & in parietibus, & in fenestris, & in fronte quoq; ac mente magno studio crucem inseramus. Id enim salutis nostræ, id communis libertatis, id mansuetudinis, atq; humilitatis Domini signum est, ductus est enim ut ovis ad occisionem. Quando igitur Cruce te signas, universam tecum crucis causam verte, & iram ac reliquarum passionum incendia extingue, quando te cruce signas, magnâ tuam frontem arma fiduciâ, libertate animum munias.* Et mox propositis verbis Apostoli 1. Cor. 7. 23. *Considera, inquit pretium, quod pro te persolutum est, & nullius hominis servus eris, pretium autem hic Crucem appellavit, quam non simpliciter digito in corpore, sed magna profectò fide in mente formare oportet, Nam si hoc modo eam impresseris, nullus scelestorum dæmonum, quum hastam videat,*

deat quâ lethale vulnus suscepit, congredi tecum audebit. Nam si quum solummodo loca, in quibus capite damnati pœnas persolvunt, videmus, ingenti horrore concutimur, quid passurum putas, Diabolum si mucronem tenere te viderit, quo vires ejus Christus dissolvit, & quo caput Draconis magno ictu rotavit? Noli ergò tanto tu bono verecundari, ne quando in majestate sua veniet Christus, de te verecundetur. Tunc enim signum hoc super radios Solis coruscans ante Christum videbis. Præcedet enim tunc profectò Crux magnam vocem aspectu emittens, & ad universos homines pro Domino respondens, atq; ostendens nihil ex parte Domini defuisse. Hoc signum & priscis & nostris temporibus clausas januas reseravit: hoc venenorum vires extinxit, hoc feroces bestias repressit, hoc lethales serpentum morsus curavit. Etenim si portas inferni perfregit, si cœlorum ostia reclusit, si Paradisi renovavit ingressum, si diaboli nervos recidit, quid mirum est, si pestifera venena, atroces bestias, aliaq; hujusmodi superavit? Hoc igitur in mente tua celato: & animarum amplectere salutem.

Signum Crucis Christi coruscās in Judicio DEI comparebit.

Signum Crucis quāca omnibus temporibus miracula patravit.

4. TESTIMONIUM Tom 5. in sua Liturgia seu Missa præterquam quòd non semel meminit consignationis factæ σταυροειδῶς in formam Crucis, expressam quoque mentionem facit Imaginis Christi (utique Crucifixi) quæ supra Altare ante Sacerdotem celebrantem collocari solet f. 545. *Canuntur hæc* (inquit) *ab utroq; choro alternatim, Sacerdos autem egreditur è parvo ostio, portans Evangelium præcedente Ministro cum lucerna. Et conversus ad Christi imaginem inter duo ostia inflexo capite cum exclamatione dicit hanc orationem primùm secretè* &c. Et paulo post. *Et tollens in altum Evang. in imaginem Crucis &c.*

Usus Imaginis Christi crucifixi in Sacrificio Missæ.

5. Testimonium Tomo 4. Homilia 32. in Epistolæ ad Romanos cap. 16. f. 128. Ubi de aliis Reliquiis ac sacris imaginibus, quàm honorificè, quàmq; religiosè loquatur, satis perspicuum est, cùm de Romana Civitate ac Petri & Pauli corporib9 sic ait: *Unde & civitas ista hinc facta est insignis, plus quàm à reliquis omnibus. Et quemadmodum corpus magnum ac validum duos habet oculos illustres, Sanctorũ videlicet illorum corpora: Non ita cœlum splendescit, quando radios suos sol ex sese dimittit, quemadmodum Romanorum Urbs duas illas lampades ubiq; terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Considerate & horrete quale spectaculum visura sit Roma? Paulum videlicet repentè ex theca illa cum Petro resurgentem in occursum Domini sursum ferri. Qualem Rosam Christo mittet Roma? Qualibus coronis duabus ornatur urbs ista? Qualibus catenis aureis cincta est? Quales habet fontes? Propterea celebro hanc urbem, non propter copiam auri, non propter columnas, neq; propter aliam phantasiam: sed propter columnas illas Ecclesiæ. Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli affigi sepulchro, videre pulverem corporis illius, quæ adhuc in Christo deerant adimplentis, stigmata illius gestantis, prædicationem Evangelii ubique seminantis? pulverem inquam oris illius, per quod Christus loquutus est, per quod lux emicuit quovis fulgore clarior, & vox exiliit Dæmonibus quovis tonitru terribilior.* Et post pauca: *Vellem videre sepulchrum, quo recondita sunt arma illa Justitiæ, arma lucis, membra nunc viventia.* Et paulò post. *Hoc corpus, urbem hanc munit, quod quavis turri, innumerisq; mœnibus ac vallis est tutius, & cum isto corpus etiam Petri. Nam & viventem honoravit: Ascendi enim inquit videre Petrum Gal. 1. Propterea & hinc emigrantem istum contubernalem sibi dignata est facere illius charitas.*

SS. Petri & Pauli corpora Romæ duo oculi illustres.

Duæ Lampades.

Duæ Coronæ.

Columnæ Ecclesiæ.

S. Chrysostomi votũ videndi sepulchrum D. Pauli

S. Petrum Paulus viventem honoravit.

6. Testi-

6. Testimonium Tomo primo Homil. in Psalmum 48 f. 370. *Nihil enim facit nomen adeò immortale ut natura virtutis. Id ostendunt Martyres, ostendunt Apostolorum Reliquiæ, ostendit memoria eorum, qui rectè & ex virtute vixerunt. Quot Reges urbes everterunt, portus exstruxerunt, & nominibus suis inscriptis decesserunt? nec tamen eis quidquam profuit, sed silentio & oblivioni mandati sunt? Piscator autem Petrus, qui nihil fecit eorum, quoniam virtutem est persecutus, & civitatem maximè regiam occupavit, etiam post mortem resplendet sole clarius.* En hic S. Pater meminit reliquiarum SS. Apostolorum, præcipuè Principis Apostolorum S. Petri, cujus sepulchrum Romæ in veneratione habetur majori, quàm Magnorum Regum & Imperatorum toto orbe. Virtus nomen immortale facit. Reliquiæ Apostolorum præcipuè S. Petri Romæ resplendẽt post mortẽ sole clarius.

7. Testimonium Tomo 4. Homil. 8. in Epistola ad Ephesios c. 4. fol. 449. De Petro & Paulo ac speciatim de Pauli vinculis hæc inter alia multa adfert. *Nihil est illâ catenâ beatius, vellem nunc esse in illis locis, in quibus dicuntur manere illa vincula, & meritò viros illos admirarer propter Christi desiderium. Vellem videre catenas, quas pertimescũt quidem & horrent Dæmones, reverentur autem Angeli.* Et paulò post. *Si ab Ecclesiasticis curis essem remotus, & esset mihi corpus sanum ac validum, non recusarem hanc suscipere peregrinationem, ut solùm viderem catenas, & carcerem, in quo fuit vinctus.* Iteratum votum videndi sepulchra SS. Petri & Pauli Romæ. Agnoscit se infirmitate corporis & curis Ecclesiasticis præpeditũ.

8. Testimonium Tomo 6. Homil. de S. Hiero Martyre Babyla f. 153. Multa hic de miraculoso corpore S. Martyris Babylæ adfert, inter alia ait: *Noli enim hoc spectare nudum Martyris corpus animæ operatione destitutum esse propositum, sed illud considera majorem ipsa anima virtutem, illi quandam assidere Spiritus S. gratiam, quæ editis à se miraculis* S. Martyris Corpori assidet Spiritus S. gratia.

culis omnibus spem certam Resurrectionis ejus facit, si enim mortuis corporibus, & in pulverem resolutis majorem, quàm vivis omnibus virtutem Deus largitus est, multò magis vitam illis priore potiorem ac feliciorem, quo tempore coronas dividet largietur. Postea describens Juliani Apostatæ Imperatoris in Christianos conatus, & quomodo idem *cum Daphnen* verba sunt S. Patris *ascendisset illic Apollinem precibus fatigabat, sollicitabat, supplicabat, ut sibi de rebus futuris quippiam vaticinaretur. Quid igitur magnus ille Gentilium Vates DEus? mortui me impediunt inquit, non loquar. At capsulas effringe, ossa effodi, mortuos transfer. Quid scelestius his mandatis fieri possit? insolitas demum sepulchrorum spoliationis leges invehit, & novos abigendi hospites modos excogitat.* Ac quid aliud Hugonotti seu Geusii dicti? quid ceteri tempore novæ reformationis aut veriùs deformationis Ecclesiæ fecêre in Gallia, Belgio, Anglia, aliisque Germaniæ oris?

Juliani Apostatæ in Christianos conatus.

Dæmon fatetur se à Sāctis mortuis impediri ne loquatur.

Jubet Sanctorum ossa effodi & transferri.

9. TESTIMONIUM Tomo 5. Libro uno contra Gentiles Babylæ Antiochiæ Episcopi & Martyris vitam continente f. 417. *Atqui poterat Babylas vel exemplo Henoch transferri, vel Eliæ modo rapi, ut qui utriusque æmulator fuerat, At Deus, quâ est in humanum genus benignitate, inter alias quas infinitas nobis salutis nostræ occasiones dedit, & hanc quoque viam nobis à se munitam esse voluit, idoneum ad virtutem capessendam stimulum, relictis scilicet interim apud nos Sanctorum Reliquiis. Nam post sermonis facultatem ipsa certè sanctorum sepulchra proximum locum obtinent, ad animas hominum in ipsos sanctos intuentium ad virtutum eorundem æmulationem excitandas. Ac sicubi quis hujusmodi conditoriis adstat, suum statim sensum ab hac quam dico vi correptum animadverterit, capsulæ enim aspectus in animam invadens ipsam*

Dei benignitate in humanum genus relinquuntur apud homines SS. reliquiæ.

Sanctorū sepulchra valent ad virtutum eorundem æmulationē excitādam.

Reliquiarum Sanctorum mira vis.

ipsam percellit & exuscitat, ac perinde efficit, quasi qui illic mortuus jacet preces simul fundat, præsensq; adesse cernatur. Deinde fit, ut qui se sic affectum sentit, mirâ alacritate gestiens, aliusq; prorsus quodammodo affectus, ita ex eo loco decedat. Et paulo post. *Et quid hic de locis ac sepulchris verba facio? quum & sæpè vestis sola mortuorum visa, & verbum unum in mentem influens animum nostrum excitet, & memoriam interlabentem refricet: quibus de causis ipsas nobis Sanctorum reliquias Deus reliquit.* Et infrà. *Etenim quasi quædam aura, eos qui in Martyris æde fuerint, undiq; circumspirans afflat, non ea quidem sensibilis, nec quæ ad augendam corporis vim faciat, sed quæ in ipsum tantùm animum obrepat, eundemq; undiq; decenter compescens ac terrestrem omnem sarcinam circumcidens reficiat, atq; ingravescentem jam & fractum agiliorem reddat.* Et non nullis periodis interjectis. *Ea est enim Sanctorum potestas, ut illorum superstitum Dæmones ne umbras quidem aut vestes ferre possint, vita autem functorum & loculos quoq; reformident. Itaq; si quis quæ ab Apostolis facta fuisse prædicantur, fidem non habet, is tandem memoriæ hujus miracula intuitus ab impudentia sua desistat.* Id planè S. Patris jaculum contorqueri meritò potest & debet in hujus temporis Ecclesiæ hostes: Reliquiarumq; & Sanctorum ipsorum impugnatores.

Etiam vestium mortuorum efficacia.

SS. Reliquiæ occultã quãdam vim habent in animos hominum.

Dæmones Sanctorũ vita fũctorum loculos reformidant.

10. TESTIMONIUM Tom. 6. Homilia in Martyres Ægyptios fol. 157. *Nam si frivolè quæram ac minimi pretii occasiones quæq; ad hanc tantùm vitam nobis conferunt largitiones, hunc multis urbibus honorem acquirere potuerunt, nõne eã potiùs quæ nihil ex caducis & corruptibilibus rebus largitur, sed viros qui urbib9 quæ illis obvenerint scil. in Patrociniũ post obitum etiam præstant securitatem præ omnibus æquum est hac honoris prærogativa donari? Sanctorum enim illorum*

Sancti post mortẽ Patroni Urbium iis securitatem præstant. Sanctorũ corpora quovis muro tutiùs urbẽ muniũt.

corpora quovis adamantino & inexpugnabili muro tutius nobis Urbem communiunt, & tanquam excelsi quidam scopuli undiq; prominentes, non horum, qui sub sensus cadunt, & oculis cernuntur hostium impetus propulsant tantùm sed etiam invisibilium Dæmonum insidias, omnesq; Diaboli fraudes subvertunt ac dissipant, non minus facilè quàm si fortis vir aliquis, ludicra puerorum subverteret ac prosterneret. Et paulò post. *Cùm Sanctorum corporibus fuerit Civitas communita, licet innumeras illi pecunias expendant Urbibus quæ ipsos possideant, minimè poterunt æquale quoddam machinamentum opponere.* Ibidem ne longus sim in citando textu ait. *Quod si communis Dominus nobis ob peccatorum multitudinem irascatur, his objectis corporibus continuò poterimus eum propitium reddere civitati.* Idque confirmat. *Etenim si qui multa præclarè gesserant majorum nostrorum ætate, sanctorum virorum nomina prætendentes atq; ad Abraham, Isaac & Jacob, appellationem confugientes, non nihil solatii sunt assecuti, & magnam ex horum nominum commemoratione utilitatem decerpserunt multò magis nos non tantùm nomina, sed & ipsa quæ decertarunt corpora prætendentes, Deum propitium & benignum habere poterimus ac placatum.* Hoc ipsum probat ab experientia. *Atq; ut ea quæ dicimus verborum fumum* (ut plerique ex Adversariis etiamnum dicunt, taliaque explodunt contemnentes) *non esse constet, norunt multi, cum indigenarum, tum eorum qui aliunde venerunt, quanta Sanctorum istorum sit virtus, qui & testimonio suo quæ dicta sunt comprobant, ut qui quantam apud Deum fiduciam obtineant ipso experimento compererint.*

Dæmonũ insidias diaboli fraudes subvertunt.

Civitatum sunt munimenta.

His corporibus objectis placatur Deꝰ peccatoribus.

Idq; probat S. Pater à pari ex vet. Testamento.

Probat itẽ ab experientia.

II. TESTIMONIUM Tomo 5. sermone de Virtutibus & vitiis f. 309. *Aspice Sanctorum quanta sit virtus, Neque enim sua verba tantùm aut corpora, sed ipsa etiam corporis tegmina*

tegmina, semper omni sunt possessione augustiora. Eliæ siquidem leonina pellis Jordanem discindere fecit. Trium puerorum calcei per ignes ambularunt. Elisæi lignum potuit undarum mutare naturam, quas quidem superficie sua quasi tergo ferrum sustinere coëgit, Moses virgâ mare rubrum dehiscere jussit, petram disrumpere valuit. Pauli vestes morbos fuderunt: Petri umbræ mortem fugârunt: Sanctorum Martyrum cinis improbos dæmones expulit. Summa igitur cum potestate omnia faciunt sicut Elias.

Ipsa SS corporis tegmina omni possessione augustiora.

Miracula patrat Elisæi lignũ.

Mosis virga.

Pauli vestis.

Petri umbra.

SS. Martyrũ cinis.

12. TESTIMONIUM Tom. 3. sermone in Juventinum & Maximum Martyres f. 392. *Idcirco sæpè eos invisamus, capsulam attingamus, magnaq; fide reliquias eorum complectamur, ut inde benedictionem aliquam assequamur.* Attigimus hoc Testimonium etiam supra §. 2. Testim. 8.

Sanctorũ capsulas attingamus, reliquias cõplectamur ad obtinendam benedictionem.

13. TESTIMONIUM Tom. 5. in sanctum Mart. Ignatium f. 689. *Itaq; non hodie tantùm, sed quotidie ad ipsum confugimus, spirituales ex eo fructus percipientes. Quisquis enim cum fide ad illum accedit, magnis afficitur beneficiis. Sanctorum enim non modò corpora, sed ipsi loculi & monumenta spirituali gratiâ conferta sunt. Nam si in Elisæo id contigit, ut defunctus sepulchrum ejus attingens mortis vincula dissolverit, & ad vitam rursus redierit, multò magis id fiet hoc tempore, quo gratia fluit uberior, quo spiritûs maior est vis, ut si cum fide aliquis arcã attingat, magnam inde virtutẽ hauriat. Et eam ob causam Reliquias Sanctorũ nobis concessit DEus, ut nos ad se eorum imitatione perducat, & sint nobis velut portꝰ quidam & idoneum solatium eorum malorum quæ assiduè nos affligũt. Quamobrẽ vos omnes cohortor Fratres, si quis vestrûm ægritudine animi vel corporis morbo, vel quâvis aliâ calamitate premitur, ut cum fide huc accedat, & ab aliis omnibus liberatꝰ magnâ cum lætitiâ revertetur, & aspectu solo conscientiam leviorem & tranquilliorem reportabit.*

Sanctorũ non modò corpora, sed & ipsi loculi & monumẽta spirituali gratiâ cõferta sũt.

Cur Sanctorum reliquias Deꝰ nobis concessit.

Ad eorum imitationẽ.

Ad solatiũ nostrum in afflictionibus.

14. TESTIMONIUM Tom. 6. Homilia de S. Meletio Antiocheno f. 118. *Testes autem estis vos, qui post tantum tempus non secùs atq; apes favum circumvolatis corpus Beati Meletii. Causa verò erat non à natura ortus in illum amor, sed discretionis rectæ ratiocinatio. Propterea non fuit morte extincta Sancti Meletii memoria, tempore non emarcuit sed augetur, & majus accepit incrementũ, non eorũ solùm qui viderunt, sed etiam eorum qui non viderunt. Oremus itaq; omnes simul tam Magistratus quàm privati, tam mulieres quàm viri, tam senes quàm juvenes, tam servi quàm liberi; Beatum ipsum Meletium harum precum socium accipientes; est enim ei nunc major fiducia, & amor in vos ferventior, ut hæc nobis augeatur charitas, & nos omnes obtineamus, quomodo hic sumus prope arcam istam* (Reliquiarum ejus thecam intelligit) *ita illic quoq; posse esse propè beatum & æternum ejus tabernaculum, & consequi bona æterna, quæ sunt reposita &c.*

S. Pater invitat omẽs ad orandũ ad corpus S. Meletii.

Sancti à nobis invocati socii precum accipiuntur.

Neque hìc omittendum quod idem Chrysostomus in eadem Homilia de S. Meletii tum nomine, tum imagine jam ante dixerat. *Nam cùm* inquit *assiduè cogerentur meminisse illius appellationis, & illum sanctum animo complecti, habebant hoc nomen tanquam arma quædam, quibus fugabatur quævis à ratione aliena assertio & cogitatio, fuitq; id adeò frequẽs, ut ubiq; in biviis, in foro, in agris, & in viis hoc nomen undiq; circumsonaret: Non ad nomen autem solum adeò fuistis affecti, sed ad ipsam etiam figuram corporis. Quomodo enim fecistis in nominibus, hoc etiam fecistis in illius imagine, etenim in palis annulorum, & in poculis, & in phialis, & in thalamorum parietibus, & ubiq; sacram illam multi expresserunt imaginem, ut non solùm audirent sanctam illam appellationem, sed etiam ubiq; viderent figuram corporis, & ejus peregrinationis duplicem haberent consolationem.*

Nomen S. Meletii ubiq; circũsonabat.

Imago S. Meletii in quanto fuit honore.

15. TE-

15. TESTIMONIUM Tom. 6. Hom. de S. Juliano M. f. 127. *Sume enim quempiam à dæmone correptum ac furentem, & ad sanctum illud sepulchrum deduc, quo Reliquiæ Martyris continentur tum resilientem planè atq; fugientẽ videbis: ut enim si per prunas incessurus esset, sic ab ipso vestibulo statim exilit, & ne oculos quidem adversùs ipsam thecam audet attollere. Quodsi nunc tanto post tempore, quum pulvis & cinis est factus, suspicere in monumentum non audent, nec in nuda Sancti ossa; minimè dubium est, quin tum quoq; cùm illum sangvine purpuratum videbant, vulneribus undiq; amplius quàm Solem radiis refulgentem perculsi fuerint, & luminibus orbati recesserint.* Et postea ubi narravit S. Julianum permultis jam tormentis cruciatum, tandem in saccum arenâ completum, unà cum scorpionibus, viperis, & draconibus injectum, atq; sacco consuto & lapide imposito in mare projectum, ac de sacco in cœlum esse profectum. Subjungit. *Accepit eum mare non ut occideret, sed ut coronaret, & post coronam nobis sanctam istam arcam Martyris corpus reddidit, hanc in hunc usq; diem retinemus, quæ sexcentorum bonorum est thesaurus. Etenim Martyres nobiscum DEus partitus est, cùm animas sibi ipse sumsisset corpora nobis quodammodo largitus est, ut perpetuæ virtutis monumentum sancta horum ossa teneamus. Nam si bellatoris arma cruentata quis cernens clypeum, hastam & loricam licet omnium sit ignavissimus, statim exilit, exardescit, & ad bellum promptus emicat, atq; à conspectu armorum sumit animum, ut easdem actiones aggrediatur: Nos qui non arma, sed corpus ipsum cernimus Sancti, quod dignum habitum est, ut ob Christi confessionem cruentaretur, licet omnium simus timidissimi, quî possumus non ad summam promptitudinem animi exardescere, cùm hic aspectus velut*

Ad sepulchrum S. Juliani Dæmones fugati.

Arca in qua S. Martyris corp9 sexcentorũ bonorum thesaurus.

Martyres Deus nobiscum partitus est, animas sibi sumsit corpora nobis largit9 est.

ignis quidam mentem nostram incitet, & ad idem nos certamen invitet? Propterea nobis Sanctorum corpora usq; ad tempus Resurrectionis commendavit DEus, ut maximæ Philosophiæ materiam & occasionem haberemus.

Propterea nobis DEus SS. corpora com̃endavit ut maximæ Philosophiæ materiam haberemus.

Et paulò post visitationem loculi S. Juliani cum visitatione Daphnes (locus erat deliciosus in Antiochiæ suburbio) comparat in hunc modum *Suburbium civitatis? Ecce suburbium Jerusalem illius, quæ sursum est? Ecce Daphne spiritualis? illic fontes aquarum, hic fontes sunt Martyrum, illic cupressi arbores infructuosæ, hic reliquiæ Sanctorum sunt, ac radices, quæ in terra plantatæ sunt, & ramos in cælum protendunt? Visne ramorum etiam istorum fructum intueri? aperi nobis oculos fidei, tum subitò mirabilium tibi fructuum naturam ostendam. Non enim pomorum aut nucum, nec aliud quiddam istorum qui corrumpuntur & pereunt, ramorum est fructus, sed corporum mutilatorum sanatio, & peccatorum remissio, abolitio vitii, morborum animæ curatio, oratio continua, fiducia apud Deum, spiritualia cuncta, bonisq; cælestibus redundantia. Hi fructus semper decerpti semper pullulant, nec unquam suos cultores deficiunt. Atq; arbores quidem quæ nascuntur in terra semel in anno fructum ferunt, quod si non decerpseris, adventante hyemis tempore, corrupto ac dilabente fructu proprium decorem amittunt, hæ verò hyemis nesciæ sunt & æstatis, non temporum subjacent necessitati, nec suis fructibus nudatæ possunt videri, sed eundem perpetuò decorem obtinent, non eas unquam corruptio vel mutatio tempestatum attingit. Quàm multi siquidem, ex quo plantatum est corpus istud in terra, sexcentas sanationes ex hoc sancto loculo decerpserunt, nec fructus defecit. &c.*

Daphne spiritualis ad SS. MM. sepulchra.

Quãti fructus ad SS. sepulchra.

Fructus ex SS. reliquiis perpetuus.

26. TESTIMONIUM Tom. 6. Homilia de S. Eustachio Antiochiæ Magnæ Archiep. f. 148. *Adeò namq; celebris*

bris

bris evasit, ut cùm in Thracia sepultum sit ejus corpus, in dies singulos memoria ejus apud nos efflorescat, & cùm in illo barbarico oppidulo sit ejus tumulus, noster in eum amor, qui tanto ab eo disjungitur intervallo, post tam diuturnum tempus singulis diebus augeatur. Imò verò si verum dicendum sit, apud nos etiam est sepulchrum ejus & non in Thracia tantùm. Monumenta enim Sanctorum non loculi solùm sunt, capsulæ, columnæ ac literæ, sed res præclarè gestæ ac fidei zelus, & sana apud DEum conscientia. Et paucis interjectis. *Idcircò Sanctorum corpora & fontes & radices & ungventa nuncupo spiritualia. Quid ita? Quoniam unumquodq; istorum, quæ dixi virtutem suam apud se non retinet tantùm; sed etiam ad alia multa longè latèq; diffundit,* & infrà. *Quod si fons, & radix, & arborum atq; ungventorum natura tantam vim habet? multò magis Sanctorum corpora. Enimverò falsa non esse quæ dicimus, vos mihi testes estis. Nam Martyris quidem situm est corpus in Thracia, vos autem qui in Thracia nõ versamini, sed ab illa regione multùm dissiti estis, svavem odorem tantis spatiis interjectis percipitis, ideòq; cõvenistis, nec eum viæ longinquitas impedivit, nec diuturnitas tẽporis extinxit. Talis enim spiritualiũ rectè factorũ est natura &c.*

Monumenta SS. sunt nõ solùm loculi, sed etiam res præclarè gestæ.

Sanctorum corpora majorem vim habent quàm fons, radix arborum, ungventa.

17. TESTIMONIUM Homilia 66. ad Pop. Antioch. de cœlesti Regno acquirendo f. 169. Postquam Christum D. prætulisset Alexandro M. inquit: *Et quid de Christo loquor, cum & Discipulos postquam obierunt, tunc effulgere fecerit? Quid dico Discipulos? Nam & eorum loca & sepulchra simul & tempora perenni memoria celebrari curavit. Tu verò mihi ostendas sepulchrum Alexandri, & profer diem quo vitam finivit? sed nihil horum insigne, sed omnia destructa sunt & exterminata. Christi verò servorum & sepulchra clara sunt Regiam assecuta civitatem, & dies notissimi mundo festam*

Christus D. discipulorũ suorũ loca, sepulchra & tẽpora celebrari curavit memoriâ perenni.

SS. Sepulchra clariora quàm ipsius Alexandri.

Et purpuram indutus ad SS. Sepulchra supplicat ut pro se apud DEum intercedant.

festam adferentes lætitiam. Et illius quidem loculum & proprii nesciunt; horum autem sciunt & Barbari, & Servorum crucifixi sepulchra Regiis aulis sunt clariora, non magnitudine & ædificiorum pulchritudine (Nam & in hoc quidem superant) sed quòd multò majus est convenientium studio; nam & ipse qui purpuram indutus est, accedit illa complexurus sepulchra, & fastu deposito stat Sanctis supplicaturus, ut pro se apud DEum intercedant, & scenarum Fabrum (id est S. Paulum) & Piscatorem (id est S. Petrum) etiam mortuos ut protectores orat, qui diademate redimitus incedit. Audebis igitur quæso horum Dominum nuncupare mortuum, cujus servi vel mortui terrarum orbis regum sunt protectores. Hoc ipsumdeinde describit non tantùm fieri Romæ, sed & Constantinopoli. *Et hìc quidem regnans alicui subjecto præcipit, ut hunc solvat quidem, illum verò liget: Sanctorum autem ossa non habent miserabilem & abjectam potestatem, sed illâ multò maiorem; Dæmones enim sistunt & torquent, & vinctos ab illis solvunt sævissimis vinculis. Quid hoc foro magis reverendum? cùm videatur nemo, nemo dæmonis instet lateribus, voces sentiunt & lacerationes, flagella tormentaq; ac linguæ ardentes, terribilem illam vim dæmone non ferentem. Et corpus induti corporeas opprimunt potestates. Et cinis & ossa & favillæ invisibiles potestates dilaniant. Itaq; quo regias quidem aulas videat, nullus unquam peregrinatus fuerit, multi verò reges plerumq; hujus spectaculi gratiâ peregrinati sunt: futuri namq; Judicii vestigia & signa Sanctorum ædes exhibent. Ubi dæmones flagellantur, corriguntur homines & liberantur. Vidisti vel mortuorum hominum virtutem, vidisti peccatorum & viventium imbecillitatem. Fuge malitiam itaq;, ut talia consequaris, & omni studio virtutem sectare. Nam si præsentia sunt hujusmodi, cogites qualia sint*

SS. ossa habent mirabilem potestatem.

Multi reges peregrinati sunt ad SS. sepulchra & ædes.

Quæ futuri Judicii vestigia & signa.

lia sint futura, & horum amore jugiter detentus æternam vitam apprehende.

Habes igitur Mayere non unum, non tria, sed tot S. Patris nostri testimonia, quibus honorem, cultum, venerationemque Sanctis cum Deo regnantibus, ut & corporibus, reliquiisque eorundem debitam, usurpatamque in Ecclesia manifestè demonstrat. I nunc & mutato Libelli tui titulo ejusdem fronti inscribe ingenuâ mente hanc palinodiam, Chrysostomus non Lutheranus, sed Romano-Catholicus.

CONTROVERSIA XI.

De Peregrinationibus & Indulgentiis.

PEregrinum te in Jerusalem, & in libris viri Jerosolomitici, id est, in cœlesti Patria jam visione Pacis fruentis mei S. Patris ostendisti Mayere, quando peregrinationes pias S. Patrem oppugnâsse, & tibi, & Auditori tuo persvadere præsumsisti. At quo argumento? unico, quo & Indulgentias à S. Patre reprobatas contendis, sed casso molimine. Tom. 4. inquis in Ep. ad Philem. hom. I. ita ait: *Ad impetrandam nostris sceleribus veniam, non pecunias impendere, sed aliud aliquid hujusmodi facere necesse est, sola sufficit bonæ voluntatis integritas. Non opus est in longinqua peregrinando transire, nec ad remotissimas ire nationes, non pericula, non labores tolerare, sed velle tantummodo.* Appello hic cordatum Lectorem, ut hunc locum m. f. 711. pervolvat, & intelligat, an fideliter Mayerus cum suo Auditore egerit. Status Controversiæ hujus utique est; *An peregrinationes ex pietate & devotione in Dei honorem & cultum SS. ad loca sacra suscipi possint?* Negat id cum Lutheranis

Loco Mayeri ex S. Patre contra peregrinationes & indulgentias expeditur.

Mayerus, affirmat Catholica Ecclesia. Jam perpendat quisque an S. Pater allegato loco faveat Mayero? Nam inprimis eo loco agit de remissione injuriarum offensarumque proximo; ait enim, *si igitur Deo tam multa debemus dignum est, ut tota animi alacritate his qui nos læserint peccata donemus, ut maiorem inde gratiam referamus. Pellatur ex animo rancor omnis, malorumq; memoria perpetua oblivione deleatur.* His dictis subjungit immediatè S. Pater allegatum textum. *Namq; ad impetrandam nostris sceleribus veniam &c.* Ad dimittendum itaque proximo requirit solam animi *voluntatem*, & *alacritatem*, idque etiam ex sequentibus patet, *Nunc autem* ait, *cùm tanta debeas Deo, proximo dimittere negligis jubente Deo.* Et paulo post. *Tu qui tam multa debes Deo dimittere juberis ut plura recipias.* Et iterum. *Facillima profectò virtus est* (scilicet dimissio injuriarum) *non est hic viribus corporis, non opibus, non pecuniis, non potentiâ, non amicitiâ, non alia quavis re opus solum velle sufficit, resq; tam utilis tam necessaria protinus mandatur effectui.* Non igitur hoc loco S. Pater agit contra peregrinationes quidquam, non contra indulgentias, ut falsò asserit Mayerus, sed dum tractat de dimissione injuriarum, incidenter ait, quòd absolutè & simpliciter loquendo, nec pecuniarum impensæ, nec peregrinationes longinquæ requirantur, sed sufficit bona voluntas, ad impetrandam nostris sceleribus veniam; quasi videlicet sine his nulla ratione venia obtineri posset, adeòque omninò necessaria forent. Nihilominus tamen etiam per hæc obtineri veniam S. Pater manifestè asserit.

Dimittenda peccata his, qui nos læserunt.

Inprimis hoc ipso Loco ad finem expressè ait de ipsa dimissione, eleemosyna, & humilitate. *Nempe si proximis peccata dimittamus, si faciamus eleemosynas, si humiles simus quin & nos hoc onere peccatorum levigat, & statim si inquam hæc*

Operibus bonis præsertim eleemosynæ, humilitatis remissionis inimicis peccata diluuntur.

hæc omnia fecerimus, multum scelerum ac sordium nostrarum diluemus. Et iterum, *Remitte ei qui te læsit, egeno miserere, humilia animam tuam, licèt quàm maximus peccator sis, audeo dicere cœlesti regno donaberis, cùm per hujusmodi opera & ipsa expies crimina, & omnium scelerum maculam diluas.* Judicet itaque Lector de sinceritate & fidelitate Mayeri in citando hoc textu S. Patris, quantum à scopo suo aberraverit? Quia verò idem, quantum colligere licet, contra Indulgentias (cùm nihil opposuerit præter eundem locum) videtur vim omnem posuisse in illo S. Patris dicto *non pecunias impendere ad peccatorum nostrorum veniam obtinendam necesse est*; ideò ex eodem tria saltem loca adfero contrarium asserentia.

1. Tomo. 1. Homil: 34. fol. 108. *Hic erudiamur ut magnâ in dandis eleemosynis largitate utamur, quò datis parvis adipiscamur magna. Quomodo enim paria sunt dic obsecro, dare parum argẽti, & obtinere peccatorum remissionem; pascere esurientem, & in die illa horribili fiduciam assequi, & audire verba nullo regno conferenda. Esurivi & dedisti mihi quod comederem. Num qui tibi tantam rerum dedit ubertatem, potuit & illius inopiam levare & solari. Hac de causa reliquit illum inopiâ vexari, ut & ipse patientiâ multum mercedis acquireret, & tu per eleemosynam tibi fiduciæ materiam illuc præmitteres.* Et post pauca: *Itaq; dum cogitas quòd propter te & propter tuam utilitatem ille cum inopia conflictans fame perit, ne absq; misericordia transeas, sed esto fidelis eorum, quæ tibi à Domino concessa sunt bonorum dispensator, ut adjutus illius penuriâ tibi supernam concilies gratiam. Et glorifica Dominum Deum tuum, quòd propter te & salutem tuam permittat illum in paupertate versari, ut tibi via pateat per quam peccata possis abluere.* Et tandẽ. *Nullũ enim omnino aliud bonũ sic poterit restingvere peccatorũ nostrorũ incendium, ut eleemosynæ largitas: ista & peccatorũ nostrorum abolitionẽ operatur, & ma-*

Eleemosynâ datis parvis cõsequimur magna.

Cur Deus permittat aliquos penuria vexari?

Eleemosynâ via patet per quã peccata abluuntur.

Nullum bonum ita peccatorũ restinguit incendium, ut Eleemosyna.

& magnam nobis fiduciam conciliat & præparat, ut ineffabilibus illis bonis frui tunc liceat. Quid clariùs dici poterat de pecuniarum erogatione per eleemosynam, quantæ nimirum sit apud Deum efficaciæ? quanti meriti?

Operatur etiam abolitionem peccatorũ &c.

2. Tomo 5. Homil. 33. f. 102. Integram Concionem habet de eleemosyna quod *ars est* & quidem *omnium artium quæstuosissima. Eja* exordiens sermonem inquit *Charissimi prius dicta resumamus, & hodie ostendamus qualiter est ars omnium artium quæstuosissima eleemosyna: si enim artis est proprium ad aliquam utilitatem pervenire, eleemosynâ verò nihil est utilius, clarum est profectò, quòd & ars & omnium est artium optima. Non enim nobis conficit calceamenta, neq; vestimenta contexit, nec has luteas domos ædificat, verùm & æternam ministrat vitam, ex mortis manibus eripit, & in utraq; vita claros exhibet, & mansiones ædificat in cœlis, & æterna parat illa tabernacula. Hæc lampades nostras non sinit extingui, nec sordidis indutos vestibus in nuptiis videri, sed lavat & nive mundiores reddit. Non sinit nos eò decidere, ubi dives ille, nec audire verba tremenda, sed in Abrahæ sinus deducit.*

Eleemosyna ars est artium omnium quæstuosissima.

Eleemosynæ plura bona enumerantur.

3. Tomo eodem Homilia 36. f. 108. & seq. multis laudibus effert eleemosynam, inter alia inquit. *Absq; eleemosyna sterilis oratio, omnia immunda absq; hac, omnia inutilia, major virtutis pars est amputata: Qui non diligit fratrem suum inquit 1. Joan. 4. DEUM non novit, tu verò quomodo diligis, neq; parva hæc & vilia volens ei communicare.* Et paulò post. *Dic enim mihi nisi foret eleemosynæ subsidium cum multis criminibus admissis nos ultionis reos statuissemus, nonne multum doleremus, nonne diceremus, utinam per pecunias à peccatis ablui liceret, & omnia daremus. Utinam pecuniis DEI liceret iram expellere, neq; rebus ullis parceremus.*

Absq; eleemosyna sterilis oratio, omnia immunda &c.

remus. Nam si hoc in ægritudine facimus, & in morte dicimus, si mors redimi posset, ille omnia sua dedisset, multò magis hoc. Et vide quanta sit DEI misericordia, temporalem redimere mortem tibi non concesſit, ſed concesſit æternam mortem. Ne brevem inquit emas vitam hanc, ſed vitam illam æternam, illam tibi vendo, non hanc, non illudo tibi.

Eleemosynâ æterna mors redimitur.

Poſſem plura ea de re ex S. Patre adferre Teſtimonia, nî brevitati ſtuderem, quibus manifeſtè docet contra te Mayere, quòd impendendo pecunias per eleemoſynas, venia & indulgentia peccatorum obtineatur. Et talis quidem erogatio pecuniarum, nimirum per eleemoſynas, ad indulgentias obtinendas requiritur, ſi quando in concesſis à Pontificibus Indulgentiarum Bullis exprimuntur; non verò quòd Indulgentiæ pecuniâ emantur, quod falsò & per ſummam contumeliam pasſim ab Adverſariis affingitur Eccleſiæ Catholicæ Romanæ.

Eleemosynæ in Bullis Indulgētiarum ponūtur non ad emendas Indulgentias, ſed ad impetrandam veniam.

Nunc porrò oſtendamus S. Doctorem tenuiſſe quòd Peregrinationes in Eccleſia Chriſti uſitatæ fuerint ad devotionem augendam, & gratiam Dei promerendam.

Ac inprimis quidem S. Doctor Peregrinationum Apoſtolicarum, à quibus ſuccedaneis temporibus in Eccleſia peregrinationes ortum ſumsêre meminit Tom. 4. in Epiſt. ad Tit. c. 1. homil. 1. f. 694. ante finem. *Vis noſſe quomodo ſe Apoſtoli habuerunt, dum eſſent in hac vita? Peregrinationes obibant, & viri nobiles, illuſtresq; mulieres pro illorum refrigerio, & quiete & animas ſuas & capita ſua ſæpe porrigebant.*

Peregrinationes Apoſtoli obibāt

2. Eodem Tomo 4 in Epiſtola 2. ad Corinth. c. 12. homil. 26. prope finem f. 588. Cùm deſcripſiſſet *quomodo ſepulchra Sanctorum qui Crucifixo ſervierunt Regias aulas ſplendore ſuperant*, ſimul oſtendit in quanto habeantur honore,

Sepulchra SS. Regias aulas ſplendore ſuperant.

Qui purpuram gestat ad sepulchra SS. se confert.

Imperatores SS. Petri & Pauli sepulchra honorant.

Sancti in cœlis Patroni Regum & Imperatorum.

nore, *adeò ut & ille* inquit, *qui purpuram gestat ad sepulchra illa se confert, ut ea exosculetur, abjectoq; fastu supplex stat, sanctosq; obsecrat, ut ipsi apud DEUM præsidio sint, atq; ut & tentoriorum opificem* (scilicet S. Paulum, qui Scenopegiam artem exercebat) *& Piscatorem* (scilicet S. Petrum) *& quidem fato functos Patronos habeat, precibus is contendit, qui diademate cinctus est.* An quæso te Mayere, quomodo à S. Patre & Peregrinationes ad limina, ut vulgò loquimur, Apostorum, nempe sepulchra Sanctorum Petri & Pauli, (quid enim aliud est sese ad sepulchra Sanctorum conferre, quàm peregrinari ad illa) & præsidium Sanctorum tanquam Patronorum, etsi jam vitâ functorum luculentiùs describi poterat? Audi insuper quomodo eosdem Sanctos demortuos Patronos & Defensores eorum, qui universo orbi imperant, vocitet, testeturque id non solùm Romæ, sed etiam in urbe Constantinopolitana fieri. Nam (prosequitur inibi S. Pater) *Et hic quoq; Constantinum Magnum filius ita demum ingenti honore se affecturum existimavit, si eum in Piscatoris* (id est S. Petri Ecclesiæ) *vestibulo conderet, quodq; Imperatoribus sunt in aulis Janitores hoc in sepulchro piscatoribus sunt Imperatores*: Tandemq; de peregrinationibus adjicit postquam commemorâsset miracula quæ ad SS. sepulchra fiebant. *Ob eamq; causam nemo est qui peregrinationem unquam inire sustineat, ut Imperatorum aulas videat; contra multi pleriq; Imperatores peregrè profecti sunt, ut hoc spectaculo fruerentur: siquidem SS. Martyrum templa futuri judicii vestigia & signa exhibent, dum nimirum dæmones flagris ceduntur, hominesq; torquentur ac liberantur. Vides qua Sanctorum etiam vitâ functorum vis sit, vides quæ flagitiosorum hominum etiam viventium imbecillitas?* Vides & tu Mayere tandem S. Patrem manifestum peregrinationum assertorem.

Constantinus M. à Filio in vestibulo Ecclesiæ S. Petri cõditus.

Multi Imperatores ad sepulchra SS. peregrinati sunt.

Templa SS. MM. futuri Judicii vestigia & signa.

3tiò. Similia habet S. Doctor Tomo 5. Homil. 66. ad Populum Antioch. f. 169. ante finem, ubi postquam similiter SS. Apostolorum sepulchra, in quanto honore sint habita descripsisset, quòdque magis gloriosa sint quàm Alexandri Magni, quanta item ad illa miracula fiant, tandem concludit, qui locus suprà Contr. 10. fusiùs citatus 17. Testimonio. *Itaq; quo regias quidem aulas videat, nullus unquam peregrinatus fuerit. Multi verò Reges plerumq; hujus spectaculi gratiâ peregrinati sunt, futuri namq; Judicii vestigia & signa SS. ædes exhibent, ubi dæmones flagellantur, corriguntur homines & liberantur. Vidisti vel mortuorum hominum virtutem, vidisti peccatorum & viventium imbecillitatem?* &c.

Multi Reges ad sepulchra SS. peregrinati.

4. Audi tandem & ipsius S. Patris desideria & vota peregrinationis suscipiendæ Romam ad sepulchrum SS. Petri & Pauli, ut videret catenas, carcerem, & vincula eorundem præsertim S. Pauli: Tomo 4. Homil. 8. in Ep. ad Ephes. f. 449. Quod Testimonium etiam supra immediatè præcedente Controversiâ allegatum, ubi de veneratione Reliquiarum. *Nihil* (inquit S. Pater) *est illâ catenâ beatius. Vellem nunc esse in illis locis, in quibus dicuntur manere illa vincula, & meritò viros illos admirarer propter Christi desiderium. Vellem videre catenas, quas pertimescunt quidem & horrent dæmones, reverentur autem Angeli*, & paulò post. *Si ab Ecclesiasticis curis essem remotus, & esset mihi corpus sanū ac validum, non recusarem hanc suscipere peregrinationem, ut solùm viderem, catenas & carcerem, in quo fuit vinctus*, supple S. Paulus de quo ibi ait. Similia habet Tom. 1. hom. 5. de patiētia Job f. 266. *Si Ecclesiasticis curis essem vacuus corpus validius haberem, nequaquam peregrinationem tantam facere recusarem, quo catenas solùm viderem, carcerē, quo Paulus vinctus &c.*

Catenæ SS. Apostolorū miracula Romæ patrant.

S. Chrysostomus desiderat peregrinationem Romā suscipere ut videat catenas S. Pauli.

Ex

Ex his igitur patet quænam fuerit mens & doctrina S. Doctoris nostri circa Peregrinationes Catholicas. Agnosce igitur Mayere etiam in hoc puncto Chrysostomum non Lutheranum, sed Catholico-Romanum.

CONTROVERSIA XII.

De Jejunio.

§. I.

Locus unicus contra Jejunium Catholicum à Mayero citatus.

CRedat, inquis Mayere, *Judæus Apella Chrysostomum adversùs doctrinam Apostoli cum Conventu Tridentino sessione 25. Delectum ciborum approbâsse.* At verò appello hunc S. Doctorem incorruptum, & vel tum credet Judæus Apella, si te Mayere perfrictæ frontis & ingenii tui Genius credere haud permiserit (quanquã & hunc veritati manifestæ tandem cessurum confido) quando non unum, sed tot pro Jejunio Ecclesiastico Testimonia aurei nostri Oris adduxero, ut mirum cuivis cordato Lectori meritò videri possit, te tam jejunum cum unico, idq; manco Testimonio in arenam prodiisse.

Et verò quid est illud ubi S. hic Doctor *Pontificiorum* ut tu ais, *hac in re causam non deserit modò, sed planè oppugnat?* Ex Tomo inquis quarto Epist. ad Hebr. Homil. 23. Sed & hìc te Mayere malæ fidei hominem demonstras in allegatione hujus loci: neque enim eum diligenti etiam ac repetitâ adhibitâ lectione hujus homiliæ reperire potui, sed nec in 13. reperissem alioqui, nisi tandem menti incidisset

disset quærendum in Hom. 33. ubi eum quidem in c. 13. ad Hebr. legi, sed ne quicquam tibi patrocinatur. Etenim exponens inibi verba S. Pauli, *doctrinis variis & peregrinis nolite abduci*; ait, *peregrinis h. e. diversis ab aliis, quas à nobis audivistis, variis h. e. omne genus doctrinis: Nihil enim habent firmum & stabile sed sunt diversæ. Multiplex enim est, maximè id quod ad cibos pertinet. Bonum enim est gratiâ stabilire cor non escis.* Ubi etiam adducit illud Christi D. dictum, *non quod intrat in os, inquinat hominem, sed quod egreditur.* Et paulò post. *Quid enim lucri dic quæso capitur ex observatione, an non magis perdit?* Tandemque concludit, *una est observatio abstinere à peccato.* Dum hæc inibi dicit S. Pater loquitur conformiter ad mentem S. Pauli eam elucidando & explanando more suo fusiùs. Jam autem constat S. Paulum eo loco non agere contra jejunium, quod Apostolica Traditione tenet Ecclesia Catholica; sed potiùs ut rectè adverterunt Interpretes, inter alios Cornel. à Lapide, hìc, notat hæreses Simonis Magi, Ebionis, & Judaizantium, jam tum suborientes. Ad Judaizantes enim spectat id quod sequitur de escis cùm ait, *Optimum enim est gratiâ stabilire cor non escis*: scilicet Judaicis, id est, ut Theoph: Theodoret: Anselmus, quin & S. Pater noster explicat per escas intelligendo *observationem certarum escarum & ciborum Lege Mosaicâ præscriptam* Levit. 11. Hæ enim *non profuerunt*, id est, non justificârunt comedentes, nec mentibus eorum robur gratiæ addiderunt; sed potiùs post Christum eis occasionem peregrinæ doctrinæ Judaismi & Judaizantium, adeòque peccati dederunt. Unde *his veteris legis observationibus opponit gratiam, id est, legem gratiæ Christi*, ut inquit Anselmus. Quod ipsum patet ex nostro Sancto Patre: Nam cùm dixisset *multiplex* esse genus

Locus à Mayero citatus contra jejuniũ expenditur.

Non agit hìc quidquã S. Pater cõtra jejunium Ecclesiasticum.

Sed solùm notat hæreses Simonis Magi Ebionis & Judaizantium.

Qui docebant debere in lege gratiæ teneri observationes legis Mosaicæ circa certas escas.

Idq; ex iisdẽ verbis S. Patris allegatis declaratur.

nus *doctrinæ* scilicet Judaicæ *maximè id quod ad cibos pertinet*: citat verba S. Pauli *Bonum enim est gratiâ stabilire cor non escis*, additq́; *eæ sunt variæ, eæ sunt peregrinæ, maximè cùm Christus dixerit: Non quod intrat per os inquinat hominem, sed quod egreditur*. Quibus utiq́; verbis Christus D. observationem Judæorum circa manducationẽ escarum, ne scilicet haud lotis manibus comederentur, uti fecêre Apostoli, redarguit. Postea S. Pater ait. *Et vide eum non audẽtem, hæc apertè dicere sed in ænigmate*: ex eo scil. quòd dicat S. Paulus. *Bonum est gratiâ stabilire cor non escis* scil: gratiâ fidei in Christum: addit enim *Totum est fides si ipsa stabilierit cor stat in tuto*. Postmodum adjicit reliqua verba S. Pauli *quæ non profuerunt inquit ambulantibus in eis*. Quid hoc est ambulantibus in eis? nunquid in escis? at quis in escis ambulat? explicat S. Pater intelligendo per illas escas observationes escarum certarũ? ait enim: *Quid enim lucri dic quæso capitur ex observatione* scil. illarum escarum in Lege Mosis præceptarum? *an non magis perdit*? *An non eum qui est hujusmodi statuit sub peccato*? quando scilicet rejecta lege gratiæ, fideq́; in Christum observatur lex Mosaica circa illas escas, quæ utiq; per Christum & ejus legem gratiæ jam est sublata. *Quæ non profuerunt* (inquit porrò ex S. Paulo) *ambulantibus in eis* (idq́; explicat) *hoc est iis qui ea perpetuò custodiunt*, ac tandem concludit. *Una est observatio abstinere à peccato*, quasi diceret cessârunt illæ tot circa escas observationes Legis Mosaicæ, in Lege nova gratiæ, una illa est observatio abstinere ab omni eo, quod inducit in peccatum, ut est inter alia etiam hoc *ambulare in observationibus* circa escas Legis Veteris.

Expressè enim ait nihil lucri haberi ex observatione scilicet escarũ, quin multum detrimenti.

Hæc igitur allegato loco est mens tum S. Pauli, tum & S. Patris Nostri eundem explanantis, Ubi vides Mayere nihil

nihil agi contra jejunium Apostolica institutione velut de manu in manum in Ecclesia Cathol. traditum & retentum. An non igitur Auditori tuo fucum volebas facere? citando S. Patrē contra Jejuniū, de quo inibi nihil agit, & aliàs jejunii acerrimꝰ est observator & defēsor, ut brevi videbimꝰ.

Potest ille locus D. Pauli etiam intelligi de Merinthianis & Cerinthianis ut advertit præcit: Cornel. ex Galeno, & Vasquez quos fortè voluit Apostolus perstringere, qui Christianismo Judaismum agglutinare volebant magnamq́ue partem in epulis & cibis sacrificalibus, qui Deo in sacrificio oblati erant collocabant, quasi tales cibi sanctificarent homines, eosq́; DEO gratos redderent & cetera plura, quæ inibi adducit Cornelius à Lapide. Quod si igitur dicto loco S. Paulus hosce hæreticos intendebat redarguere, non dubitandum quin S. Chrysostomus in ejusdem explanatione intenderit à mente Apostoli ne latum ungvem recedere. Ubi cùm Apostolus doctrinam Ecclesiæ Catholicæ de jejunio minimè tangat, nec S. Patrem eandem refellere censendum est.

Potest ille locus etiā intelligi de Merinthianis & Cerinthianis.

Quod si quis insuper contendat S. Apostolum, adeóq́ue & ejus explanatorem Chrysostomum dicto loco, non tantùm respexisse hæreticos illorum temporum, sed etiam secuturorum, dicatq́; S. Apostolum quasi prophetico Spiritu prævidisse fore in Ecclesia tales, qui prohiberent certas escas, uti & nuptias, ac proinde de illis loqui *doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* De quibus etiam testatur 1. Tim: 4. initio dicens. *Spiritus autem manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris &c. prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos DEus creavit* &c. Hæc autem faciunt dicet quispiam Papistæ. Sed quisquis id dixerit, nihil dixerit. Etenim iis verbis ab Apostolo, non doctrinam Ecclesiæ Catholicæ,

Notari possunt dicto loco ut & 1. Tim 4. & alii hæretici at nō Eccl. Catholica Romana.

licæ, sed potiùs hæreticorum notari inprimis Ebionis, deinde etiam Encratitarum, quorum autor fuit Pacianus; Marcionis, item Saturni, & Manichæorum, Severianorum, Archonticorum, manifestè testantur SS. PP. Chrysost. Theoph. Oecum: Ambros: Hieron: August: & ante hos Irenæus, Epiphanius, Ignatius. Ex his duos posterioris ætatis adduxisse sufficiat. Hieron. l. 2. adversus Jovinianum c. 11. *Reprobat quidem Apostolus eos, qui prohibebant nuptias, & jubebant cibis abstinere; quos DEus creavit ad utendum cum gratiarum actione, sed Marcionem designat & Tatianum, & ceteros hæreticos, qui abstinentiam indicunt perpetuam, ad destruenda & contemnenda, & abominanda opera Creatoris. Nos autem* (scil: in Catholica Ecclesia) *& creaturam laudamus DEI, & maciem saginæ, abstinentiam luxuriæ, jejunia præferimus saturitati.* Et Augustinus tum lib. contra Adimantum c. 14. tum l. 3. cont. Faust. c. 6. ubi ait, *Videtis ergò multum interesse inter hortantes ad virginitatem, bono minori bonum amplius præponendo, & prohibentes nubere, concubitum propagationis, qui solus propriè nuptialis est, vehementius accusando: multum interesse inter abstinentes à cibis propter sacratam significationem, vel propter corporis castigationem: & abstinentes à cibis quos DEus creavit, dicendo quòd eos DEus non creavit. Proinde illa doctrina est Prophetarum & Apostolorum hæc dæmoniorum mendaciloquorum.* Cui allubet plura ea de re legere, videat supra hunc locum Cornel. à Lapide. Non igitur hoc loco S. P. nec ullo alio Catholicum oppugnat jejunium.

Discrimen inter doctrinā hæreticorum & Catholicæ Ecclesiæ de Jejunio & Nuptiis ex Hieron. & Augustino.

Quod ipsum ut tantò evidentiùs unicuique pateat adferemus plura ex S. Patre de jejunio Catholico Testimonia.

§. II.

§. II.

Allegantur ex S. Patre plura Testimonia pro Jejunio Catholico præcipuè Quadragesimali.

1. TESTIMONIUM Tom. 1. Homil. 1. in Genesim f. 1. initio. *Eapropter & ipse hodie ingenti alacritate surrexi, unà vobiscum lætitiæ illius Spiritualis particeps futurus, & volens adventûs sanctæ Quadragesimæ, remedii inquam animarum nostrarum vobis annuntiator esse. Communis enim nostri omnium Dominus, veluti Pater filios indulgenter amans, cupiens ea quæ unquam peccavimus, nos abluere; hanc quæ per Jejunium fit, curationem adinvenit. Nullus igitur sit mœstus, nullus etiam tristis appareat, sed omnes exultent & gaudeant.* Et paulò post. *Hæ enim veræ feriæ sunt, ubi animarum salus, ubi pax & concordia est, ubi omnis hujus vitæ apparatus abigitur, ubi clamor & tumultus & coquorum discursus, & pecudum mactationes è medio tolluntur.* En hìc apertè exprimit rationem jejunii secundùm qualitatem abstinentiæ nimirum à carnibus, cùm ait in jejunio *pecudum mactationes tolluntur è medio.*

S. Chrysost. primo die jejunii quadragesimalis alacriter surgit

Jejunium remedium, & curatio animarum.

In jejunio pecudũ mactationes è medio tolluntur.

2. TESTIMONIUM Tomo eodem Homil. 2. f. 3. *Jejunium enim est animarum nostrarum tranquillitas, senum decor, adolescentum pædagogus, continentium magister, qui omnẽ ætatem & sexum quasi diademate quodã ornat. Nusquam hodiè tumultus, vel clamor, vel carnium concisiones, vel coquorũ discursus, sed omnia illa abierunt, & imitatur hæc civitas honestam quandam continentem & sobriam Matremfamilias.* En iteratò meminit abstinentiæ à carnibus tempore jejunii, cùm ait nullas carnium concisiones adesse eo tempore.

Laudes eximiæ jejunii.

In jejunio nullus carnium usus.

3. TESTIMONIUM Tom. eod. hom. 3. f. 7. *Undiq; igitur armemus nos ipsos & à verbis, & ab operibus, abstineamus quæ nos offendere possunt, & cum abstinentia à cibis, cùm aliarum virtu-*

Cum abstinentia à cibis abstinẽdum à malis operib9.

virtutum tum liberalitatis in pauperes, specimen exhibeamus. Et infra. *Scio enim, scio quòd per gratiam Dei, sermonum nostrorum frequentia & jejunii studium poterunt ipsos vel serò à difficili hoc morbo liberare, perfectæq; sanitati restituere, ut & ipsi à suppliciis quæ eis parata sunt liberentur, & nos à tristitia eruamur.*

Jejunii studiũ à morbo peccati liberat.

4. TESTIMONIUM Tomo eodem Homil: 11. f. 27. ante medium expressam aliquoties Quadragesimæ & Jejunii mentionem facit. *Similiter igitur* (inquit) *& in hac sacra Quadragesima constitutum nobis inveniemus.* Et paulò post. *Ita & nunc his qui in hac quadragesima jejunii cursum suscepere, quasi stationes, & diverticula, & littora, & portus, per duos hebdomadæ dies Dominus quietem largitus est.* (etenim ut in margine huj9 editionis adnotatur die Dominico & Sabbatho veteres non jejunabant ut habetur in Apost: Can: 64. Et nec modo die Dominico servatur jejunium quoad quãtitatem cibi, siquidem prandium & cœna sumi potest, etsi servetur quoad qualitatem; abstinemus enim à carnibus in quadragesima) *ut & corpori aliquantulum jejunii labores remittantur, & animam refocillent jejunantes, & exactis duobus illis diebus in pulchrè cœpto itinere alacriter pergant.* Et infra. *Et ne ita simpliciter Jejuniorum hebdomadæ prætereant, scrutemur suam quisq; conscientiam.*

Olim die Dominico & Sabbatho non jejunabant; nec modo die Dominico in Ecclesia est Jejunium quoad quantitatem cibi etsi sit quoad qualitatem.

Tempore Jejunii scrutanda Conscientia.

5. TESTIMONIUM Tomo eodem Homil. 30. f. 91. initio loquens de hebdomada præcipuè sancta, quæ etiam tunc magna hebdomada vocabatur. *Ecce tandem* (inquit) *ad finem sanctæ Quadragesimæ venimus, & Jejunii navigationem perfecimus, appulimusq; Dei gratiâ in portum.* Et paulò post interiùs. *Quia in Magnam hanc Hebdomadam pervenimus Dei gratiâ, nunc maximè & jejunii cursus intendendus, & magis continuandæ sunt preces, faciẽdaq; diligens & pura peccatorum confessio, ut talibus ornati virtutibus, ubi in diem*

In magna hebdomada jejunii cursus intendendus.

Continuandæ preces diligens & pura cõfessio facienda.

Domi

Dominicum venerimus, Domini liberalitate fruamur. Magnam autem vocamus Hebdomadam non quòd plures horæ in ea sint, neq; quod plures dies habeat: Est idem enim numerus in hac aliisq; omnibus. Quare ergò illam vocamus magnam? quia magna quædam & ineffabilia bona contigerunt nobis in illa. In illa enim solutum est bellum diutinum, extincta mors, maledictio interempta, diaboli tyrannis dissoluta, vasa ejus direpta. Deus hominibus reconciliatus est, cœlum penetrabile factum, Angeli hominibus convivunt. Et idcircò fideles & jejunium intendunt, & vigilias, ut hebdomadæ huic honorem habeant.

Cur vocatur magna hebdomada.

6. TESTIMONIUM Tomo 5. sermone 1. de Jejunio f. 366. *Cujus gratiâ occisi sunt filii Aaron Sacerdotes? Nonne quia in Ministerio vinum gustarunt? quæ erat lex Nazaræorum? nonne abstinere à vino, & omnib⁹ quæ inebriant? Daniel cum suis legumina comedebāt contemnētes mēsam Tyranni Nabuchodonosor: jejunavit Daniel triginta sex dierū hebdomadas; & vir ille desideriorum, quia à concupiscentiis sibi temperabat, cognomen sortitus est. Et quomodo jejunavit, non unum Judaicū diem & brevem, sed triginta sex dierum hebdomadas. Et ipse præfigurabat Ecclesiæ consuetudinem, panem ait delicatū non comedebat: Alii autem pro voluptate sua aliquando bibūt: Vinū & caro non intravit in os meum; à quibus jejunat Ecclesia. Vide in Veteri Christianam vitam?*

Filii Aaron puniti ob gustatum vinum.

LexNazaræorum à vino abstinere.

Danielis jejuniū cōmendatur.

Daniel jejunās præfigurabat Ecclesiæ cōsvetudinem.

7. TESTIMONIUM Tomo eodem. Homil. 3. ad populum Antioch. f. 13. & seq. *Habemus & jejuniū hoc cooperans, in hac pulchra legatione nobis adhærens. Quemadmodū itaq; præterita hyeme, & æstate apparente, nauta quidem navigium deducit; miles verò arma detergit equumq; ad bellum parat, & agricola acuit falcem, & viator fiduciæ plenus longum iter aggreditur, & ad certamina pugil exspoliatur, seq; denudat: sic & nos jejunio tāquam æstate quadam apparēte, & arma tanquam milites abstergamus.* Et paulò post. *Acue falcē tuam, quam*

Jejunātes assimilantur Nautis, Militibus, Agricolæ, Viatori, Pugili.

per

per crapulam hebetâsti, acue per jejunium, aggredere iter in cœlum ferens, asperam & angustam viam attinge & ambula. Tum modum ambulandi dat.

Quomodo autem poteris & attingere & ambulare? castigans corpus tuum & in servitutem redigens, ubi enim via angusta magnum impedimentum est carnis ex crapula obesitas. Absurdarum undas concupiscentiarum reprime, repelle improbarum hyemem cogitationum, salva navigium, multam ostende peritiam & factus es gubernator. Horum autem omnium nobis materia jejunium & Magister est. Jejunium autem dico non hoc vulgare sed accuratum jejunium, non tantùm ciborum abstinentiam, sed & peccatorum, non enim jejunii natura peccata eximere sufficit nisi congrua cum lege fiat. Etenim athleta inquit Paul. 2. Tim. 25. non coronabitur nisi legitimè certaverit, Et paulò post. *Non enim os tantum jejunet, sed & oculus & auditus & pedes & manus, & omnia corporis nostri membra jejunent* &c. *Non comedis carnes neq; lasciviam per oculos haurias. Jejunet & auris, aurium autem jejunium detractiones & calumnias non suscipere. Auditum vanum non suscipies, inquit Ex. 2. 13. Jejunet quoq; os à verbis turpibus, & convitio. Quæ enim utilitas cùm avibus quidem & piscibus abstineamus, fratres verò mordeamus & comedamus? Detrahens fraternas carnes comedit, proximi carnem momordit. Propterea & Paulus terruit, dicens: Si autem vos invicem mordetis & comeditis, videte ne abinvicem consummamini. Non infixisti dentes carni, sed animæ maledictum, improbam suspicionem infixisti, vulnerasti &c.*

> Obesitas carnis ex crapula magnum impedimentum in via angusta ad cœlum.
>
> Jejunium accuratum non tantũ in ciborum abstinentia sed. & peccatorum.
>
> Jejunẽt & sẽsus ac corporis membra.
>
> Jejunandum à Verbis turpibus & convitio.
>
> Detrahẽs fraternas carnes comedit.

8. TESTIMONIUM Tomo. 5. homil. 4. ad popAntioch. de patiencia Job &c. f. 20. prope finem. *Et sicut quidam sunt inter se ciborum abstinentiâ æmulantes & mirabilem contentionem facientes, & hi quidem integros duos dies transigunt*

> In jejunio quædam æmulatio inter fideles uno austeriùs altero jejuniũ servante.

gunt jejuni, hi verò non vini tantùm, olei, sed & omnis ferculi usum à sua mensa rejicientes pane & aqua utentes duntaxat Quadragesimam omnem expediunt: sic & nos quidem inter nos contendamus, ut juramentorum frequentiam tollamus. Hoc enim omni jejunio utiliùs, hoc omni vitæ asperitate compendiosiùs: & studium, quod circa ciborum abstinentiam habemus, hoc circa juramentorum abstinentiam exhibeamus. Et hìc S. Pater testatur varias à variis jejunii austeritates susceptas fuisse, quod quidem etiamnum in Ecclesia Catholica usitatum.

Juramẽtorũ frequentia tollẽda.

9. TESTIMONIUM Tom. 5 Homil 6. ad pop. Antioch. f. 27. *Non tantùm ad Regi persuadendum maximum ex hoc jejunio nobis est auxilium, sed etiam ad casus generosè ferendos. Etenim consolationem non quamlibet ex hoc tempore capimus, per singulos enim dies congregari, & divinarum auditu Scripturarum frui, & invicem nos conspicere, & lamentari, & orantes, ac benedictionem accipientes sic domum abire, doloris plurimum nobis diminuit.* Et multis interjectis. *Studeamus præsentis jejunii capere munimentum. Et sicut sæpenumerò vestimentum adepti, vel servum, vel vas pretiosum temporis reminiscimur, & inter nos dicimus, servum illum tali solennitate emi, vestimentum hoc tali comparavi tempore, ita quoq; si legem hanc impleverimus, dicemus Juramentum hâc correxi Quadragesimâ, hactenus enim jurabam & sola admonitione audita, peccato abstinui,* & mox, *Quid difficiliùs non jurare, an per totum diem inediam pati, & aquæ potu, & tenui victu siccari? Certum est, quòd hoc illo gravius, sed tamen consuetudo res est tam facilis, & expedita, quòd adveniente jejunio, etsi millies quis exhortetur, & infinita crucient, & cogant, vinum delibare, vel aliud quid jejunii lege non concessum gustare, omnia quis mallet pati, quàm prohibitum tangere munimentum.*

Consolatio ex jejunio.

Jejunii lex quàm difficilis transgressu bonis Christianis.

tum. Et cum illibenter erga mens ama affecti simus, tamen propter consuetudinem, ex conscientia omnia generosè ferimus laborãdo. Notandum hoc loco S. P. meminisse jejunii legis, quæ certè non alia quàm Ecclesiastica ex Apostolica traditione.

10. TESTIMONIUM Tom. eod. Hom. 10. ad pop. Ant. f. 37. prope initium. *Et quid opus est plura dicere? sta tantùm prope jejunantem, & ipsius statim odoris suavitatem senties? Ungvẽtum enim jejunans est spirituale, & per oculos & per lingvam, & per omnia bonam animæ dispositionem demonstrans.*

Jejunans ungventum est spirituale.

11. TESTIMONIUM Tom. 5. hom. 15. ad pop. Ant. f. 53. initio. *Oportebat & hodie, & superiore sabbatho de jejunio facere sermonem, & intempestivum esse dictum hoc, cogitet nemo. Nam in diebus quidem jejunii consilio nihil opus est. & admonitione, ipsâ dierum præsentiâ etiam negligentissimos ad jejunii certamen excitante, sed quoniam hominum multi Jejunium aggressuri, tanquam longæ cuidam obsessioni tradendus sit venter, crapulam, & ebrietatem præveniẽtes reponunt, rursumq́; egressi tanquam ex longa quadam esurie, & gravi jejunii carcere absoluti cum multo dedecore ad mensas currũt, studẽtes sibi ortam ex jejunio utilitatẽ, crapulæ excessu rursum perdere; operæ pretium fuit & tunc & nunc de continentia instituere sermonem.*

Præsentia dierum jejunii negligentissimos ad certamẽ Jejunij excitat

12. TESTIMONIUM Tom. 5. hom. 16. ad pop. Ant. f. 59. post med. *Secundam Jejunii septimanam expedivimus, sed non hoc consideremus; Non enim hoc est expedivisse Jejunium, si tempus præterierimus, sed si transegerimus cum rectè factis. Hoc supputemus si studiosiores facti simus, si defectum aliquem nostrum correxerimus, si abluimus crimina. Consvetudinem omnes habent per quadragesimam interrogare, quot quisq́; septimanas quadragesimæ jejunavit, & dicentes audire licet, hos quidem quòd duas, hos verò quòd tres, illos autem, quod omnes jejunaverunt septimanas. Et quod lucrum si rectè factis carentes*

Jejunium trasigẽdum cum rectè factis.

Tempore Jejunii Quadragesimæ imminuenda vitia.

Jeju-

Jejunium transegerimus? si alius dicat totam jejunavi quadragesimam: tu dic, inimicum habebam & conciliatus sum: habebam detrahendi consuetudinem & destiti, jurandi tenebar usu, & mos improbus mihi correctus est. Nulla mercatoribus utilitas, si magnam maris longitudinem percurrerint, sed cùm rerum copiâ & multò mercimonio navigaverint, nulla Jejunii nobis utilitas, si infructuosè ipsum tempus & temerè prætereamus, si ciborum Jejunium jejunemus: præteritis jejunii seu quadragesimæ diebus præterit & jejunium, si verò peccatis abstineamus, & transacto Jejunio illud remanet, & continuum erit, hinc nobis utilitas, & ante regnum cœlorum non parvas nobis hìc reddet retributiones.

Retributio bonorum operum etiam ante Regnum cœlorum i. e. in hac vita fit.

13. TESTIMONIUM Tom. eod. hom. 18. ad pop Ant. f. 63. initio. *Multos vidi gaudentes & inter se dicentes, Vicimus, superavimus, Jejunii dimidium profligatū est. Tales autē hortor non propterea gaudere, quia profligatum sit Jejunii dimidium sed illud considerare, si peccatorum sit profligatum dimidium, & tunc exultare; hoc enim voluptate dignum, hoc est id quod quæritur, & propter quod facta sunt omnia, ut defectus nostros corrigamus, & tales exeamus de Jejunio, quales Jejunium ingressi sumus, sed abluti & omni mala consuetudine deposita sic sacram agamus solemnitatem, si hoc desit, non tantùm nulla nobis erit utilitas, verùm & maximum consummato Jejunio damnum. Ne igitur lætemur quòd Jejunii prolixitatem expedivimus, nihil enim magnum hoc est, sed lætemur, quando cum profectibus ipsum exegerimus, ut etiam ipso transacto fructus ipsius effulgeat &c. Multos enim video se ita pusillanimiter habentes, ut in præsenti de futura solliciti sint Quadragesima, multosq; dicentes audivi, quòd post Jejunii liberationem non sentiunt voluptatem ex remissione, propter futuri anni solicitudinem; quid his quæso magis esse posset pusillanime?*

Tempore Jejunii omnis mala consvetudo deponenda.

Causa lætitiæ de trāsacto jejunio fit, si cum profectu animæ exactum.

Quæ verò est hujus causa? quod adveniente jejunio non quomodo benè disponatur anima studemus, sed in sola ciborum abstinentia ipsum definiemus.

Ad finem jejunii de profectu virtutum auctiore facto ineunda ratio.

14. TESTIMONIUM Tom. 5. Hom. de simultate &c. f. 742. initio. *Ad finem jejunii reliquum jam deinceps tempus deproperat, ecquid interea de profectu virtutum auctiore facto conscii sumus? ut enim nihil commodi adfert decursio per multa stadia, si à præmio excidas; ita nihil nobis lucri erit ex multis laboribus & sudoribus jejunio insumptis, nisi cum pura conscientia sacrâ mensâ fruamur: ob hoc enim jejunium, & Quadragesima, & tot dierum synaxes, auditiones, preces, & doctrinæ susceptæ sunt, ut abstersis sceleribus, per istiusmodi studium, quæ nobis hoc anno quocunque modo allita inhæserunt, cum spirituali securitate, illius incruenti Sacrificii participes efficeremur. Quia nisi id assequamur, temerè frustraque, & cum nulla utilitate tanti labores tolerati sunt.* En hìc non tantùm Jejunii, sed etiam incruenti Sacrificii meminit.

Jejunium quadragesimale ideò suscipitur ut fideles incruenti Sacrificii participes efficiantur.

Exspectatio jejunii studium ingerit bonis Christianis.

15. TESTIMONIUM Tom. 5. Hom. 1. de pœnitentia f. 335. initio. *Læta nobis hodie ac festiva celebritas, solitòque illustrior cœtus, quænam ergò causa? Ipsum jejunii hoc clarum tempus, hoc esse novi, jejunii non præsentis sed exspectati &c. Si verò solùm quod exspectatur tantum studii nobis ingessit, cùm apparuerit, adveneritque, qualem quantamque præ se venerationem feret, sic & civitas Principe tremendo ingressuro omnem omittit desidiam, majorique excitatur studio. Sed haud timete tremendum Principem jejunium audientes, non enim vobis, sed Dæmoniorum naturæ tremendum est. Etenim si lunaticus fuerit quis, jejunii faciem ostende, atque lapidibus ipsis immobilior manet timore suffocatus, & veluti vinculo quodam detentus, idque potissimum quum viderit jejunio adjunctam sociam contubernalemque orationem. Propterea & Christus dicit hoc*

Jejunium dæmoniis tremendum non hominibus.

Jejunij socia & contubernalis oratio.

genus Dæmonii non ejicitur nisi in Jejunio & oratione, Matth. 17. *Jejunium mirare, pronisq; manibus suscipe, quoniam enim & in camino fert opem, atq; in Leonum custodit lacu, Dæmonesq; fugat, & Dei revocat sententiam, vitiorumq; furorem supprimit, & ad ipsam nos reducit libertatem, plurimamq; in nostris cogitationibus quietem insinuat, quomodo non supremæ fuerit iniquitatis tot tantaq; in manibus habentem bona, & fugere & timere.* Plura ibidem S. Pater in laudem jejunii præclarè tractat. Jejunii plura bona enumerantur.

16. TESTIMONIUM Tomo eodem homilia 8. de Pœnit, f. 352. ab initio. *Etenim vobis de cetero jejunii tempus ad finem urget: Nam stadii medium prætergressi, reliquum ad finem ipsum concedimus.* Et paulò post. *Oro vos omnes, & obsecro, suam quisq; ad conscientiam jejunii negationem reputet*, & infra; *cùm scilicet esca abstinemus, peccato non abstinemus? cùm carnibus quidem non vescimur, devoramus tamen pauperum domus?* & cetera plura quæ ibi habentur. Cum carnibus non vescimur, pauperum domos non devoremus.

17. TESTIMONIUM Tomo. 5. homil. 71. 72. 73. ad Pop: Ant: quibus tribus homiliis tractat de jejunio, præsertim verò homilia 73. cujus ipsa inscriptio est, *De Sanctæ Quadragesimæ Jejunio, & quod torpentibus nobis nulla excusatio* f. 180. sic igitur ille statim initio. *Non hoc solùm exquiritur Charissimi, ut per singulos dies huc cōveniamus, & de iisdem audiamus continuè, & totam jejunemus Quadragesimā, si nihil enim ex eo quod huc assiduè convenimus & admonemur, & ex jejunii tempore lucrari deberemus, hæc non modò nihil nobis prodessent, verùm & majoris occasio damnationis fierent nobis, cùm tantum invenientes solicitudinis iidem permaneamus, nec iracundus mitis efficiatur, nec animosus mutetur in mansuetum, nec in benignitatem invidus se reducat, neq; pecuniarum captus insaniâ desistens ad misericordiam & pauperum se transferat sustentationem, nec impudicus continens evadat &c.* Jejuniū sine vitæ emendatione majoris causa emendationis.

Propitiationis tempus Jejunium.

18. TESTIMONIUM Tom. 5. ferm. 1. de Jejun. f. 365. *Propitiationis tempus adest, temporis oportunitatē ne contemnamus: abjiciendorum peccatorum tempus est, gratiam ne negligamus, sed jejunemus à cibis, sed primum à malis peccatis.* Et paulò post *dolet in jejuniis caro, sed epulatur anima, quid melius in nobis anima vel corpus? Hæc accepit ut non doleat, nutritur autem & hoc pulchrius, & melius. Oportet nos esse in Jejunio, nec est propterea corpori corruptio, sed medicina & cura: Nam qui jejunant & à fluxibus liberantur* &c. Et infrà, *ab uno ligno si abstinuisset Adam, si ab uno jejunasset mortua fuisset mors, imò non fuisset mortua, quæ non erat. Vides si hoc pharmaco fuisset usus Adam, non fuisset mortale nostrum genus. Quantæ gratiæ fuit usus, ut resolvatur quod invenit Adam per intemperantiam. Quando vides quid mali operatum sit contrarium, hoc est quòd non abstinuit ab uno ligno Adam, cognosce quantum bonum Jejunium & abstinentia ab his quæ licita sunt adferat. Nam ubi attigit Adam quod non licebat, cecidit; contra abstinentia ab his quæ licent, suâ beneficētiâ ruinam reparat. Utinam & Esau jejunasset, & non vendidisset primogenita, sed cibo minor factus naturæ privilegium pro lentibus vendidit. Doctis Scripturas transcurro velociter: quid detulit Judæis legem à monte? Jejunium Mosi Ex. 32, quod quadraginta dieb9 fiebat, sed priusquam deferretur lex, visus est populus veritatem amisisse.* Et paulò post. *Si igitur vetus* (lex) *à jejunio incipit, & nova ab eo fundamenta ponit, ne putemus jejunium malum esse.* Adfert deinde plura S. Pater exempla de jejunio ex Scriptura Sacra, quæ ne sim longus, omitto, liberum lectori ea pervolvere.

Dolet in jejuniis caro sed epulatur anima.

Jejunium corpori medicina & cura.

Si Jejunii pharmaco fuisset usus Adam, non fuisset mortale genus humanum.

Adam per intemperātiam nobis mortem attulit, at Jejuniū nunc ruinam reparat.

Esau ob non servatum Jejunium primogenita amisit.

Jejunium Mosi legem Judæis detulit à mōte.

Vetus Lex à Jejunio incepit.

Et nova ab eo fundamenta ponit. Non igitur malum jejunium.

19. TESTIMONIUM Eodem Tomo fermone 2. de Jejunio f. 268. Adest *nobis splendidus dies, & desideratum tempus advenit, & conventus ideò opulentior congregatur, & hæc*

hæc omnia spes nobis exspectati jejunii præparavit, & cetera plura quæ eodem serm. adfert in laudem eximiam Jejunii. Spes exspectati jejunii.

20. TESTIMONIUM Tom. 5. hom. 23. ad Pop. Ant. de Pœnitẽtia &c. f. 83. *prope finem. At amarius os facit iejunium? Christus qui mellis dulcedinem creavit fel propter te gustavit.* Quàm dulciter Jejunium S. Pater condit felle Christi. Jejunii amaritudo felle Christi condienda.

21. TESTIMONIUM Tomo eodem Oratione 9. in Sancta & magna Parasceve f. m. 923. *Finitum iam nobis est Jejunii certamen, desiit autem in crucem, quem enim alium nancisci finem victoriam oportuit, quàm ut trophæo terminaretur, Trophæum enim Crux est &c,* Jejunium Quadrages. desinit in Cruce tanquã in trophæo.

Finio itaque Allegationem Testimoniorũ ex S. Patre, ac simul trophæum erigo: abundè enim tibi Mayere satisfactum esse credo hisce tot pro Jejunio testimoniis, contra tuum unicum adeò jejunum locum. Agnosce igitur Chrysostomum non Lutheranum, sed potiùs Romano-Catholicum.

Porrò id quod hìc per ludibrium adfers ex Durando, an pisces carnis rationem habeant? non moror: neque enim hæc & similia tua ludibria merentur aliud, quàm risum & contemptum.

Quid verò ais insuper Chrysostomum piscium quoque esum & usum à Jejunio exclusisse homilia 3. ad pop. Antioch. & alibi quæ loca à nobis supra citata. Ergo agnoscis S. Patrem Jejunium admisisse, & quidem etiam à piscibus. Tu autem Mayere unà cum tuis ne quidem à carnibus admittis jejunium, quâ igitur fronte Lutheranos vis esse Chrysostomianos? Porrò nihil novi in Ecclesia Catholica ut multi etiam à piscib9 abstineant jejunii tempore etiam nunc. Sed cui tam rigida est à piscibus abstinentia, eidem S. Pater vult inculcatam abstinentiam etiam Mayerus cum Lutheranis Divi Chrysost. doctrinam de Jejunio nõ sequitur.

etiam

etiam à vitiis, præsertim detractionis, mordacitatis &c: Utinam Mayere saltem in hoc S. Doctoris secutus fuisses doctrinam, atque à mordaci dicacitate quâ Concilium Tridentinum theonino dente arrodis abstineres? Gabriel Albaspinæus Episc: Aurelianensis quem citas, nihil aliud intendit, quàm excitare homines ad orationem ferventem, vitamque probam jejunio jungendam, exemplo veterum Christianorum, quod vel illa ejus verba sonant, *omni genere Precum, Orationum, Jejuniorum armati manantibus ubertim ex oculis lacrymis; magno cum ejulatu cœlum ipsum lacessentes oppugnabant &c*: Ergò hæc tibi Mayere placent in Veteribus, eccur non eadem facis?

CONTROVERSIA XIII.

De Primatu Petri.

Gloriatio Mayeri de labefactato consensu Chrysostomi frustranea declaratur.

JAm ex arena videris descendere Mayere quando gloriabundus velut epinicion occinens, inquis. *Atq; ita per partes labefactatus est consensus Chrysostomi falsò jactatus.* Sed siste gradum! parce Tridentinis, parce Heidelbergero, quin parce tibi. Nondum acie pulsi firmo consistimus gradu, nostra hæc est pila, nostra omnis lis. Bene habet pedem ut video refers, at simul in sublime effers, eodem Sedem Petri Apostolicam petulanter calcaturus, quin & dexteram attollis, ut ultimam in Primatu Petri, hostili contra Tridentinos Patres bello, manum inferas, & imponas; quod vel hæc tua verba (*quid si Heidelbergere hunc ejus (Chrysostomi) arietem jam discessurus intorqueam*) loquuntur. Sed crede mihi non stas promissis; aries enim quem in petram Petri inconcussam contorsisti, in te ipsum retortus te Maye-

Mayerum maximis tuâ opinione majorem Heroëm terræ ita allidit, ut cadere in arena non sine dedecore cogaris.

Quis verò iste Aries Chrysostomi videamus? Tom. 2. (inquis) in Matth. 16. Homil. 55. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam, id est super fidem atq; Confessionem.* Item Tomo 3. serm. de Pentecoste. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Super hanc petram non dixit super Petrum: non enim super hominem, sed super fidem ædificavit Ecclesiam suam: quid est super petram? hoc est super Confessionem, super sermones pietatis.

Duo Loci S. Patris à Mayero citati contra Primatum Petri expēduntur.

Hiccine est ille Aries, quem intorquere volebas, eoq́ue Primatum Petri non in primis, aut secundis, sed in ultimis reponere, quin susq́ue deq́ue evertere? Scin' quid velim? Nimirum hic Aries Agno mansvetior in Petro verum Pastorem, Patrem & Petram Ecclesiæ ingenuè agnoscit. Etenim quis unquam dubitavit cum Chrysostomo Catholicorum, Ecclesiam non super Petrum quà hominem merè, quàve privatam personam ædificatam? nunquid enim hæc ædificatio facta est super Corpus Petri, ejusq́ue animam? hoc enim Physicè est homo Petrus. Nunquid ex lapidibus, aut lignis confecta? *An forsitan interrogabis* (loquor verbis D. Chrysostomi desumptis ex loco secundo citato serm. de Pentec. f. 365.) *utrum hæc ædificatio suscipiat lapides, aut ligna aut ferrum? non inquit, nec enim est in sensibili ædificatio, quod si talis esset, solveretur tempore.*

Quo sensu Christus Ecclesiam suā supra fidem seu Confessionem Petri fundavit?

Non super Petrum quà hominem merè quà ve privatam personam.

tempore. Sed potius Ecclesia Catholica docet cum Doctissimo Card. Bellarmino de Rom. Pontifice Lib. 1. c. 10. Quòd Christus Dominus Ecclesiam suam in dictis verbis se ædificaturum pollicitus sit, super Confessionem & fidem Petri non tantùm simpliciter, & absolutè sumtam, sine respectu & relatione ad Personam Petri; si enim ita esset, non diceret Dominus *super hanc petram ædificabo*, sed ædifico vel ædificavi Ecclesiam meam: Jam enim multi crediderant, & confessi fuerant, eum esse filium Dei vivi, ut Prisci Patres, Prophetæ, SS. ejus Mater & Virgo, Zacharias, Simeon, Joannes Baptista, Apostoli, & ceteri Discipuli. Quare non primus Petrus erat, qui credidit & confessus est Christum Filium Dei vivi; adeòque Ecclesia Christi in confessione illorum credentium ædificari jam cœpta fuit, consequenter non primùm in Confessione Petri, quasi in futuro ædificanda.

Neque super Petri fidem & Cōfessionem simpliciter & absolutè sumtam sine relatione ad fidem Petri.

Deinde fides absolutè, & in se sumta, prout est virtus Theologica, rectè quidem dicitur fundamentum justificationis, omnium virtutum ac salutis ipsius, ut etiam suprà Controversia quarta de Justificatione diximus, nam ut Augustinus serm. 22. de verbis Apostoli dictis consonat: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* At eadem fides respectivè ad Ecclesiam spectata ipsiusmet petra & fundamentum propriè loquendo esse non potest: Etenim fundamentum & reliquum ædificium debent esse ejusdem generis & rationis. Est autem Ecclesia Cœtus evocatorum seu hominum fidelium Congregatio, quasi *lapidum vivorum* ut dicitur 1. Petri 2. *qui superædificantur super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo JEsu*, ut ait Paulus Ephes. 2. Qui scilicet Apostoli & Prophetæ

Fides in se sumta prout est virtus Theologica est fundamentum justificationis.

At non respectivè ad Ecclesiam spectata.

phetæ fuêre utique homines. Debet ergò etiam lapis, fundamentum, seu petra, supra quam Ecclesiam suam ædificaturus erat Christus, esse aliquis homo, & non aliqua virtus, sicut ipsum ædificium est ex lapidibus vivis, id est, hominibus, ut dictum. Denique illud pronomen demonstrativum *hanc* clarissimè ostendit per petram non posse intelligi fidem absolutè: nam refertur ad Petram proximè nominatam, & in Petra ad proximè etiam compellatum Petrum, *Tu es Petrus*, non tu es fides, adeòque & sequentia verba ita accipienda sunt, *& super hanc petram* i. e. super te Petrum fidelem seu confitentem me, & non super fidem tuam solam, quâ me confiteris *ædificabo Ecclesiam meam*; ita ut sensum dictorum verborum hæc argumentatio complecti videatur. Super eum qui est hæc petra ædificabo Ecclesiam meam: Atqui Tu Petre es hæc petra, Ergò super te Petre ædificabo Ecclesiam meam. Oportet igitur hoc loco fidem non simpliciter & absolutè sumere, sed cum relatione ad fidem Petri, & quidem Petri non ut hominis merè privati, & particularis personæ, sed ut erat Pastor, Princeps, & Caput Ecclesiæ futurus; adeòque à Christo Domino Ecclesia sua non super fidem absolutè, nec super fidem Petri ut personæ particularis sed ut personæ publicæ, quæ nimirum esset Caput & Pastor ejusdem Ecclesiæ fundata est: uti hoc ipsum luculenter præcitatus Bellarminus demonstrat.

Fides & Cõfessio illa accipienda cum respectu & relatione ad Petri fidem, non ut hominis privati sed ut erat Pastor, Princeps, & Caput futurus Ecclesiæ.

Atque ita intelligendus est S. Chrysostomus tum hìc, tum alibi loquens, uti & alii SS. Patres, quando dicunt super fidem seu Confessionem Petri fundatam Ecclesiam. Quod ipsum S. Pater sese explicans manifestè testatur: nam præcitata homil. 55. in Matth. infer. f. 191. inquit: *Tu*

verò mecum ex his omnibus, quanta sit potestas eius (Petri) *intellige! Dominus ait tu es Petrus, & ego (super te) ædificabo Ecclesiam meam.* En S. Pater signanter ait *super te* scilicet Petre, sed non quâ privatum hominem, & particularem personam, ergò quâ Caput, Principem, & Pastorem Ecclesiæ. Id verò ipsum eadem Homilia manifestè loquitur. Postquam enim adduxisset verba Domini. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Id est *fidem atq; confessionem*; protinus addit, *hìc apertè prædixit* (Christus) *Magnam eorum, qui credituri & erant, & sunt multitudinem fore, & sublimiora sapere ipsum* (Petrum) *fecit, & Ecclesiæ Pastorem constituit.* Et infrà de clavibus, quas se daturum Petro pollicetur. *Christus* ait, *alium deinde honorem ei præbet: ego autem dabo tibi claves Regni cœlorum. Quid verò est, & ego autem tibi dabo? quemadmodum Pater tibi dedit, ut me cognosceres, sic & ego tibi dabo. Et non dixit rogabo Patrem ut tibi det, sed quamvis magna erat potestas, & doni magnitudo ineffabilis, & ego tamen dabo tibi inquit.* Et post pauca apertè Petrum *Pastorem & Caput Ecclesiæ* promulgat. *Nam,* inquit, *quæ DEus concedere solus potest, peccatorum scilicet remissionem* (in clavibus inclusam) *& ut Ecclesia tot tantisq; fluctibus impetu irrumpentibus immobilis permaneat: Cujus Pastor & Caput Piscator homo atq; ignobilis terrarum orbe recludentem adamantis naturam firmitate superet; hæc inquam omnia quæ solius DEI sunt se pollicetur daturum.*

Ita fidem & confessionem Petri intelligendam esse probatur ex iis ipsis locis quæ Mayerus citavit.

Petrus Ecclesiæ Pastor à Christo constitutus.

Petrus Pastor & Caput Ecclesiæ.

Idem secūdò repetit S. Pater.

Scin' jam quid velim Mayere? Vin' insuper audire Petrum præpositum universo terrarum orbi, arrige aures, audi *de meliore metallo* (quæ tua sunt verba) aureo ore sonantem Chrysostomi mei vocem. *Ita*, inquit ibidem, *& Pater ad Jeremiam dicebat sicut columnam ferream, &*

murum

murum æneum posui te Jer. cap. 1. Sed ipsum quidem genti uni Pater, hunc autem universo terrarum orbi Christus præposuit: Quærit deinde Sanctus Pater ex eis scilicet Arianis, qui *Filii divinitatem minorem quàm Patris dicunt, quænam illis majora dona videantur, quæ Pater, aut quæ Filius Petro largitus est. Pater quidem revelationem inquit ei Filii sui dedit; Filius autem partim ut tam Patris, quàm Filii sui revelationem ubiq; terrarum possit seminare, partim ut quamvis homo esset mortalis cœlesti potestate polleret, & claves haberet Regni cœlorum, ita Petrus Ecclesiam per universum orbem amplificatam Cœlo etiam ipso validiorem monstravit.*

Christus Petrum universo terrarum orbi præposuit.

Petrus homo quamvis mortalis cœlesti potestate pollet.

Hanc verò ipsam & non aliam mentem fuisse S. Patris declaro etiam alio Testimonio. Etenim Tom. 2. Homil. 83. in Matthæum f. 274. ante medium ait. *Nam qui super confessionem ejus Ecclesiam ita fundavit atq; munivit, ut nullum periculum, neq; mors ipsa posset eum superare: qui claves Regni cœlorum concessit, & tantam potestatem ei commisit, nec unquam pro illis omnibus oratione indiguerit, quantò minùs hâc in re indiguisset? Non enim dixit, rogavi; sed cum autoritate ædificabo super Te Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni cœlorum.* En hìc S. Pater ait Christum D. Ecclesiam suam ædificâsse, & super confessionem Petri, & super ipsum Petrum confitentem; Petrum inquam non ut privatum hominem, sed ut publicum munus Pastoris, Capitis, Præpositivè Ecclesiæ referentem; siquidem eum hisce titulis passim exornat, ut jam videbimus. Quare audiamus plura insuper S. Patris Testimonia, quibus S. Petrum Pastorem, Præpositum, ac Caput Ecclesiæ facit, multisque aliis eximiis encomiis condecorat.

Testimonium S. Patris quo ait & super confessionem Petri, & super Petrum ædificatam à Christo Ecclesiam.

1. Tom. 5. Orat. Encomiastica in *Principes Apostolorum*

lorum Petrum & Paulum f. 689. *ait Petrus Apostolorum Dux* Item *Petrus Orthodoxæ fidei principium*, Item *Apostolorum Doctor, firma fidei petra* &c. *senilis Ecclesiæ sapientia* &c. plura.

Petrus Apostolorum Dux, Orthodoxæ fidei principiũ. Ecclesiæ Regimen assumsit. Colũna Ecclesiæ, Basis fidei, Apostolici chori caput. Os & Princeps Apostolorum. orbis terrarum curam habet. Illi Christus per totũ terrarum Orbem præsidentiã Ecclesiæ tradidit. Primus Apostolorum factus. Totius orbis terrarũ Doctor. Ei Christus Primatum gubernationemque Ecclesiæ per universũ mundum tradidit. Apostolorũ princeps in Ecclesia.

2. Tomo eodem Homil. in SS. 12. Apostolos f. 691. *Petrus* inquit *Navem reliquit & Ecclesiæ regimẽ assumsit.* &c.

3. Tom. 1. homil. 2. in Psal. 50. f. 388. *Columna illa Ecclesiæ, fidei Basis, illud Apostolici chori Caput* Petrus &c.

4. Tom. 3. Homil. 87. in Joann. f. 162. *Os erat Apostolorum & Princeps*, & post pauca. *Nam cùm magna Christus Petro communicasset, Orbis terrarum curam demandasset &c.*

5. Tom. 4. Homil. 32. in Ep: ad Rom: f. 128. insigniter laudat S. Petrum.

6. Tom. 5. Homil. 80. ad populum Antioch. de Pœnitentia fol. 189. *Ei* (Petro Christus) *per totum Orbem Terrarum Ecclesiæ Præsidentiam tradidit.*

7. Item Tom. 5. Orat: 5. adversus Judæos f. 449. *Petrus adeò abluit illam* (ternam) *abnegationem, ut etiam primus Apostolorum fuerit factus, ac terrarum orbem totum subjecerit*, vel ut in edit: altera habetur, *eiq́; totus terrarum orbis commissus.*

8. Tomo eodem Homil: in S. Ignatium M. circa med. f. 687. *totius orbis terrarum doctorem præfecit (Antiochiæ) Petrum, cui claves Cælorum dedit, cujus arbitrio & potestati cuncta permisit.*

9. Tomo eod. Homil. 1. de Pœnitentia f. 336. ante med. *Sed tamen post malum (* loquitur de negatione Petri*) iterum eum ad priorem honorem revehit, & Ecclesiæ Primatum gubernationemq́; ipsi per universum Mundum tradidit.*

10. Ibidem Homil. 9. de Pœnitentia prope finem f. 358. *Petrus ille Apostolorum Princeps in Ecclesia, prior amicus Christi* &c. & paulò post, *Hic idem Petrus, Petrum quum dico,*

petram

petram nomino indelebilem (seu ut alia versio *infragilem*) *crepidinem immobilem, Apostolum magnum, primum Discipulorum, primum vocatum, & primum obedientem.*

11. Tomo 6. Homil. in SS. Petrum & Eliam f. 98. ante med. *Petro Claves Regni Cælorum & populorum multitudines ejus fidei committendæ erant.* Et paulo post *vocat Petrum illum talem ac tantum virum, Apostolorum verticem, fundamentum immobile, petram stabilem* &c. *Ecclesiæ Principem, portum inexpugnabilem, turrim firmam* &c. *Petrus illa Ecclesiæ columna & propugnaculum &c. Petrus orbis terrarum Magister peccare permissus fuit, ut hæc permissio humanitatis argumentum aliis proponeretur.*

Apostolorum vertex, immobile fundamentum, Petra stabilis, Ecclesiæ Princeps inexpugnabilis, Turris firma, Ecclesiæ columna & propugnaculũ, Terrarum Magister

Atque hæc sunt Encomia & Prærogativæ nonnullæ è multis, quibus S. Pater S. Petrum ceteris Apostolis superiorem, quin universæ Ecclesiæ præpositum, primatumque in illa gerentem manifestè proclamat. Quia verò passim moderni Hæretici negant S. Petrum Romæ commoratum fuisse, atque ibi Martyrium subiisse, non abs re fuerit hìc S Patris ea de re Testimonia adduxisse.

Probatur S. Petrum Romæ cõmoratum, & Martyriũ subiisse.

1. Tomo 5. Homil. in S. Ignatium Mart. Testim. sup. memor. post med. *At illi qui Romæ tunc habitabant, cùm illic magna vigeret impietas, majore auxilio indigebant: Ideo Petrus, & Paulus, & Ignatius post illos ibi fuerunt immolati, ut Civitatem illam idolorum erroribus pollutam proprio sanguine abluerent.*

S. Petrus ut & Paulus & Ignatius Romæ immolatus.

2. Tomo 4. hom. 32. in Ep. ad Rom. f. 128. in morali. *Non ita cœlum splendescit, quando radios suos sol ex se se dimittit, quemadmodum Romanorum Urbs duas illas lampades ubiq; terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Considerate & horrete quale spectaculum visura sit Roma? Paulum videlicet repente ex theca illa cum Petro resurgentem in occursum Domini sursum ferri &c.*

S. Petrus cum S Paulo Romæ resurgens in occursũ Domini sursum feretur.

3. Ho-

3. Homil. sup. mem. in Sanctos 12. Apostolos prope initium. *Petrus hinc Romam erudit, Paulus inde mundo Evangelium annuntiat, Andreas Græciæ sapientes corrigit, Simon docet Barbaros.*

Petrus Romam erudit.

4. Tom. 5. Oratione Encomiastica in Apost. Petrum & Paulum sup. cit. ait in fine; *obdormiêre autem in magna Urbe Roma veteri vigesimo nono die Mensis Junii. Sub Regum iniquissimo Imperatore Nerone è medio sublati, & ad omnium Magistrum atq; Dominum pluribus rebus præclarissimè gestis profecti.*

S. Petrus & Paulus Romæ obdormiêre sub Imper. Nerone 29. die mensis Junii.

5. Huc spectant Testimonia supra adducta Contr. 10. Testim. 17. item Contr. 11. Testim 2. 3. 4. Quid verò manifestius his Testimoniis adferri potest?

Quid jam ad hæc Mayere? an nō tibi ad has tot incorruptas aurei oris de Primatu Petri voces tua rauca ac nimio errore corrupta vox faucibus hæsit? I nunc! & quære apud S. hunc Patrem plura Testimonia, ad alia etiam Tridentini Concilii Decreta refellenda! Cùm multum diuq́ue quæsieris, quid aliud invenies, quàm in veridici Doctoris Schola æternæ veritatis doceri propositiones, in tua verò pravitatis officina meram miramq́ue procudi falsitatem. Hanc enim tuam hoc libro quem refuto arte artium luculenter declarasti falsas pro veris vēdere merces, veritatem errorum larvâ obtegere, Verbum Dei Doctrinamq́ue Patrum jactare, & propriis privati Spiritûs commentis innocentes ac simplices animas in laqueos Sathanæ ac manifestum interitum conjicere D. Paulo Rom. 16. 18. dicente, *per dulces sermones seducunt corda innocentium.* Quæ veritas supra pluribus deducta ex SS. PP. & D. Chrysost. Controv. 1. Requisivisti ab Heidelbergero (*si qua mica tibi pudoris restat, si quis scrupulus ingenuæ mentis, adhibe siquid habes quod*

cla-

clarissimæ huic luci tenebrarum offundere queas) Egi ego partes mei in Christo Fratris Heidelbergeri; egi & meæ amantissimæ in Christo Matris Ecclesiæ Sanctæ; egi denique mei venerandi ac dilectissimi Patris cujus haud inane Nomen portare vellem, & nec *micam pudoris* mihi inesse modestè, ac religiose fateor, quòd prodierim cum Illustrisimo Doctore in lucem, cujus serenissimis radiis plùs quàm Ægyptiacas tuas, quas tanto Ecclesiæ Lumini, ipsique Ecclesiæ orthodoxæ soli, in quo *tabernaculum suum posuisse* Christum vaticinatus est Regius Propheta, Ps. 18, 6. offundere temerario ausu præsumsisti, tenebras, ut confido, dispuli. Neque cum *ingenuæ mentis scrupulo*, quin cum veritate erubescere nescia, serena fronte, liberali vultu, libero ore ac linguâ, pro eadem, tecum, scilicet comite falsitate facie emarcidâ, vultu livore pleno, caperata fronte, limis lippisque oculis, distorto ore, stridore dentium minaci prodeuntem, in campum descendi, atque mei S. Patris Chrysostomi pro virili, ut par erat, egi partes. Diligens sic te volente ejus librorum inii scrutinium: Ejus quam tu ipse appellabas aurei oris sententiam in medium produxi: incorruptis testimoniis te tot falsitatum, tot pseudologiarum, ac criminum falsi reum convici. Plura etiam quæ à te omissa sunt demonstraturus, ut Transsubstantialitatem, Sacrificiũ, Liberum arbitrium. Quamobrem tibi ipsi à te ipso dictum puta quòd Heidelbergero temerè objicis. *Vah quàm turpe est hominem senem in mendacio deprehendi tam aperto. Te igitur esse, errasse, fefellisse, falsum esse*, si non voce saltem silentio convictus in conscientia fateâre!

Mayerus convictus hoc opusculo.

Descriptio hinc veritatis. Inde falsitatis.

Quid restat? nisi ut te jam ipsum O incorruptæ ac orthodoxæ fidei Defensorem atque Arbitrum D. Chrysostome compellem? Te igitur quâ decet Clientem summissione obsecro, atque obtestor, ut Mayerum tanquam

impostorem ac falsarium tuæ intemeratæ atq́; incorruptæ Doctrinæ in facie universi christiani orbis pro æquitatis lege judices, de eo justissimã decernas sententiam, severissimas deposcas pœnas: Te enim Judicem atq́; arbitrum partium esse voluit. Sed dum hæc flagrantissimè urgeo, en novi me intolerandi criminis à te Mayere comissi, admonet S. Pater, nempe quòd opusculum hoc tuum, quo Chrysostomum Lutheranum dici & esse voluisti, ita concludas. DEUS VOS IMPLEAT ODIO ANTICHRISTI!

Hoc est nimirùm viri inter Lutheranos religione scil. Evangelici & Apostolici, eruditione S. Theologiæ Doctoris, officio Ecclesiæ Grimmensis Pastoris, & ejusce In-An-De-spectionis Superintendentis, Evangelicũ, Pastorale, Apostolicum, superintendentiale votum. Talia scilicet vota Christꝰ in Evangelio facienda sacrosanctè suasit, quin præcepit, Apostoli diligenter docuêre, SS. PP. studiosè observavêre, omnes qui altiori eruditione, Pastoralique dignitate supra alios eminent, omninò tenentur emittere.

Mayerus odio Antichristi, id est Papæ Romani vult impleri Auditores.

Et quis ille tibi Mayere Antichristus? cujus odio & ipse ardes, & ex abundantia ardoris exoptas, *ut Deꝰ impleat Potentissimi SAXONIÆ ELECTORIS Generosum, atq́; perstrenuum Tribunum, Præfectos amplissimos, Professores Gymnasii Electoralis clarissimos, Auditores reliquos honoratissimos, Symmistas tuos longè dilectissimos.* Respondes, unoq́ue verbo absolvis, Papa Romanus. PAPÆ! itane Papa Antichristus? At verò tot jam libris, tot testimoniis, tot argumentis non Catholici solùm tibi vulgò Papistæ, sed & Acatholici dicam Apapistæ, sole clariùs deduxère Papam Romanum nullo modo esse Antichristum. Verùm nihil hæc te movent? clamas, vociferas, buccinas tu tamen cum tuis plus quàm stentorea voce Papa Antichristus; ac vel ideò vatiniano odio prosequendus, ideò orandus DEus ut prorsus pessundetur. Talis nim: quotidiana oratio fuit Lu-

theri

theri,ut ipse testatur. *Ego quotidie oro ut Deus Papam & Turcam pessundet,sed per hanc orationem non justificor.* Tomo 6. Wittemb. An. 1556. fol.315.

Quid verò hæc tua tuiq; Coryphæi ac ejus sequacium perversa vox effecit,efficitq;? Effecit illa prô dolor! utinā nunquam effecisset! apostasiam ab orthodoxa Ecclesia, ejusq; visibili Capite,tot Regionum,tot Urbium,tot populorum! Effecit prô dolor! ut tot tempestatibus dissidiorum, tumultuum, bellorum, Imperium Christianum quateretur! Regna, Provinciæ,Civitates,Populi involverentur,depopularentur,vastarentur! Deo dicatæ domus everterentur, desolarentur: Templa,altaria profanarentur! effecit tot subditorum à suis legitimis Dominis contra divina æquè ac humana jura descissionem! Effecit tantam tamq; copiosam Christiani sangvinis, hostilibus intentatis armis, profusionem! Effecit deniq; prô Superi! (nam cetera totius Ecclesiæ animarumq; pretioso Domini Servatoris nostri Sangvine emtarum,majora quia sempiterna quis enumeret detrimenta?) Ut juratus Christi Crucis ac fidei hostis Otomanicus Turca contra Christianum Imperium, ceteraq; Regna vires sumserit,ac porrò sumat,progressusq; ac incrementa faciat in immensum.

Hæc vox & dogma dissidentiū Papa Antichristus quantorum in Christianitate malorum causa.

Hæc inquam omnia plurimaq; alia, quæ silentio involvo,hæc una vox Lutheri ejusq; sequacium *Papa Antichristus* effecit, efficietque plura, nec enim sum falsus vates, nisi aliquando tandem hoc turbulentissimum dogma, tuba faxq; omnium pœnè altero jam seculo in Christiano orbe malorum, è libris,liberisq; mentibus elimetur,è Communitatibus,Cœtibusque eliminetur; è Regnis atq; Urbibus proscribatur: sic enim tandem sublatâ causâ fonteque omnis mali facilè tolletur effectus ac rivus perniciosus, tandemque desiderata unio,pax,& tranquillitas Ecclesiæ Christi universæ redibit postliminiò.

At enim verò, Itanè tibi, tuiq́ue similibus Papa Antichristus? At nonne Antichristus una persona, ac individuum atomum Christo contrarius futurus? Quod expressit D. Chrysost: quando ait Tomo 2. hom. 27. in Matth. post initium f. 377. *Dum dicit (Joannes) Tu es qui venturus es, an alium expectamus? ostendit quia duo erant, qui essent venturi, Christus & Antichristus, de quo & D. alibi significat dicens, Ego veni in nomine Patris mei & non recepistis me, alius veniet in nomine suo & illum recipietis* Joan. 5. Papæ autem à D. Petro ad hodie feliciter Ecclesiam gubernantem Innocentium XI. ducenti quadraginta tres juxta computum Jacobi Gaulterii in Tabula Chronogr. qui ad Paulum V. numerat 236. exclusis Antipapis. Nonne Antichristus ultimis temporibus mundi appariturus? Quod etiam agnoscit S. Pater Tomo 2. in Matth. Hom. 4. in fin. 319. *Et ideò Ecclesia nunquam sine tentatione dimissa est. Et primùm quidem ventilaverunt Judæi eam, deinde Gentiles, modò hæretici, postmodum autem perventilavit eam Antichristus.* Ejusdem Regnum tribus annis & sex mensibus protendendum idem S. Pater testatur. Tomo eodem hom. 49. in Matth. f. 444. Papæ autem in sede Petri ejusdem Successores tot seculis supra millesimum annum consident. Nonne Antichristus incertis Parentibus, nec legitimo thoro è latebris Judææ oriundus proditurus in lucem? teste Joanne Damasceno Lib. 4. Fidei c. 27. *Neq; verò quemadmodum Dominus humanitatem assumsit, ita Diabolus homo efficiatur, Verùm ex fornicatione parietur atq; omnem Sathanæ afflatum suscipiet.* At Papæ è variis Nationibus & Familiis, Itala, Hispana, Gallica, Germanica, Græca &c. eligebantur, eliguntur q́ue, quorum etiam subsequentium post hæc Catalogum ænigmaticè recensitum per Divinam revelationem à S. Malachia Archiepiscopo Ardinacense & Metropolitano Hyberniæ, qui diem ultimum clausit Anno Domini 1140. 2. Novembris,

Papa nullo modo dici potest Antichristus.

Papæ è variis Nationibus eliguntur.

De eorundem serie Prophetia Malachiæ Archiep.

bris, veritati ab eventu omninò consonum, stupet Orbis Christianus. Nonne Antichristus ultimis Ecclesiæ temporibus tribus annis & sex mensibus regnaturus, Juge Sacrificium Novi Testamenti juxta Prophetiam Danielis capite 9. sublaturus est? De quo ita Sanctus Pater disserit Tomo 2. Homilia 49. in Matthæum folio 444. *Nam* (inquit inprimis de Christo D.) *antequam caperent Romani Hierusalem in dimidio hebdomadis Christus per suam doctrinam tulit de medio Juge Sacrificium Judæorum. Nam dicitur tribus annis & sex mensibus docuisse, qui numerus fuit dimidiū septem annorum, ut illud Sacrificium, quod jugiter erat in usu tolleretur de medio & offerretur Sacrificium laudis in voce, & Sacrificium Justitiæ in operibus, & Sacrificium Pacis per Eucharistiam. Usq; ad finem autem seculi tumultus est, quia Judaica consuetudo de Sacrificiis offerendis nunquam est reparanda. Itē in dimidio hebdomadis h. e. tribus annis & sex mensibus hoc Sacrificium Christianorum tollendum est ab Antichristo confugientibus Christianis ante eum per loca deserta, non erit qui aut in Ecclesiam intret, aut oblationem offerat Deo. &c.* Hoc S. Pater de Antichristo, quæ quomodo de Papa Romano dici possunt? Quis enim Papa Juge Sacrificium sustulit? Quin quia tu Mayere cum tuis tollis *Juge Sacrificium Pacis per Eucharistiam & oblationis* prout à S. P. vocatur; in hoc certè ipsemet es Antichristianus non Christianus. Nonne denique Antichristus juxta D. Paul. 2. Thess. 2. *futurus homo peccati, filius interitus, qui adversatur & extollitur supra omne quod dicitur DEUS, aut quod colitur, ita ut in templo Dei quasi Deus sedeat* &c. *quem etiam interficiet Dominus Spiritu oris sui.* Quæ omnia qui in veritate Papæ Romano accommodari possunt? Certè D. Chrysostomus loco citato ea exponit de illo in fine mundi venturo Antichristo; cui etiā ceteri Sancti Patres consonant, ut mirum sit hosce Novatores adeò impudentes esse, ut ea Papæ Romano applicare

Antichristus juge Sacrificium Eucharistiæ sublaturus.

Hoc nullus sustulit Papa.

Antichristus homo peccati filius interitus &c.

Non Papa.

care passim in Libris ac Concionibus audeant: quod quid aliud est quàm excusso suavi ac paterno obedientiæ Sedis Romanæ jugo, effrenis recalcitrantium filiorum licētia, ac incredibile ejusdem odium: Cùm contrà obedientia etiam præsens Rom. Eccl., vel à S. Paulo olim laudata legatur, siquidem idem de ea dici potest, quod olim de illa primitiva dixit: *Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est* Rom: 16. 19. Utinam proinde fiat id quod vovet Paulus ibidem, ut *Deus pacis conterat Sathanam sub pedibus vestris* (Sanctæ scilicet Sedis Romanæ cui tot machinis, tot technis insidiatur) *velociter.*

Sed quandoquidem de Antichristo nobis sermo est, non abs re fuerit Tibi Mayere opponere Exercitum Antichristi, quem S. Pater in campum educit loco citato, in quo vereor ne teipsum non trivialem, at planè triarium spectes commilitonem. *Novissimè autem* (inquit ille post init. Homiliæ) *abominatio desolationis stetit in loco Sancto id est exercitus Antichristi, Exercitus autem Antichristi sunt omnes hæreses, præcipuè ista* (annè Lutherana?) *quæ obtinuit locum & stetit in loco Sancto* (tot templorum Catholicis violenter & sacrilegè ereptorum) *ita ut videatur quasi Verbum veritatis stetisse, cùm non ut verbum veritatis, sed abominatio desolationis, id est, exercitus Antichristi, qui multorum animas reddidit desolatas à Deo. Et hoc est fortè quod Apostolus dicit, qui adversatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in templo* Dei *quasi Deus sedeat ostendens se quasi sit Deus.* 2. *Thess.* 2. *Et sic omnia illa mala hæresum diversarum, quæ antea audiebantur tantùm, postea steterunt in loco sancto desolantia Ecclesiam Christi. Ex quo datâ sibi licentiâ cæperunt publicè omnes habere Ecclesias.* Quod hic S. Pater ait de hæresi Ariana, ceterisque illius temporis, hoc omninò dici potest & de præsentibus hæresibus.

Exercitus Antichristi Hæretici.

Vin' insuper Mayere audire quinam officium & lo-

cum

cum Antichristi occupent? accipe ea quæ S. Pater loquitur Tomo 1. Homil. in ps. 10. f. 3. 14. ante finem, ubi exponens verba psalmi. *Exurge Domine non prævaleat homo ait, Quis est iste homo? nisi Antichristus? Audite fratres dilectissimi multi in seculo isto caduco & fæneo habitant Antichristi, & audite qui sunt isti Antichristi. Antichristi dicuntur ficti Christiani: Antichristi dicuntur Hæretici, Pagani. Ecce isti omnes Antichristi dicuntur, quia in uno nomine Christi non eis placet simplicitas Catholicæ Ecclesiæ, qui aut sub laude vituperant, aut inimicitiam apertè exercent.* Is igitur S. Patri est Antichristus, *cui in uno nomine Christi non placet simplicitas Catholicæ Ecclesiæ*; at placetnè tibi, placetnè tui similibus *in Uno nomine simplicitas Catholicæ Ecclesiæ*? An non *inimicitiam* contra illam *apertè exerces*? Vide ergo ne tu sis de familia Antichristiana. Antichristi ficti Christiani, hæretici, pagani.

Quàm verò id ipsum egregiè confirmat longè antè D. Chrysost. S. Cyprianus. *Beatus Joannes Apostolus nec ipse ullam hæresim aut schisma discrevit, sed universos qui de Ecclesia exissent Antichristos appellavit, dicens: Audistis quia Antichristus venit, nunc autem multi Antichristi facti sunt, ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis, si enim fuissent ex nobis, mansissent utiq; nobiscum. Unde apparet adversarios Domini Antichristos omnes esse, quos constet à charitate, atq; ab Unitate Ecclesiæ Catholicæ recessisse.* Lib. 1. Ep. 6. ad Magnum. Tu igitur potiùs Mayere, tuiq; similes *quos constat à charitate & unitate Ecclesiæ Catholicæ recessisse* Antichristi nomen & omen possides, non Papa Romanus Ecclesiæ Catholicæ Romanæ Antistes. Idem confirmat Div. Cyprianus. 1. Joan. 2.

Sed quid ego multa? Ergone tibi Mayere Papa Antichristus Lutheranus? Illene etiam Papam Antichristum pronunciavit, docuit, prædicavit? quo Tomo? quo libro? quo folio? Ergònè ad Antichristum tanquam ad asylum innocentiæ suæ recurrit? quando pro domo sua contra adversarium suum Theophilum Alexandrinum ad Innocentium primum scripsit binam Epistolam in quarum prima inter alia hæc habet Tomo 5. f. 390. *Et ideò obsecro charitatem vestram, ut provocetur ad condolendum faciendumq; omnia, quò mala hæc sistantur*: & paulò post. *Quapropter ne confusio hæc omnem quæ sub Coelo est nationem invadat, obsecro ut scribas, quòd hæc tam iniquè facta, & absentibus nobis,* D. Chrysostomus Papam Rom. nunquam Antichristum appellavit. Idem ad Papam Innocentium in negotio suo cum Theophilo Alexandr. recurrit.

& non

& non declinantibus judicium, non habeant robur, sicut neq; suâ naturâ habent: illi autem qui iniquè egerunt, poenæ Ecclesiasticarum legum subjaceant; nobis verò qui nec convicti, nec redarguti, nec habiti ut rei, literis vestris, & charitate vestra aliorumq; omnium, quorum scilicet & antea societate fruebamur, frui concedite. Et in fine. *Obsecro ut præstetis id quod petent* (Episcopi à S. Chrysost. missi) *officii quo non solùm nobis gratificabimini, sed & Ecclesiarum universitati mercedemq; accepturi estis à Deo, qui nihil non propter Ecclesiarum pacem facere dignatur. Semper vale & ora pro me Domine dignissime & sanctissime.* In altera verò Epistola agit gratias Innocentio Papæ pro adhibito remedio seditioni, & rogat ut porrò pergat juvare. Ubi etiam ait *se non mediocriter consolari solida* Innoc. Papæ *fide & charitate.* Additq;. *Hic noster murus, hæc securitas, hic portus absq; fluctibus, hic multorum bonorum thesaurus, hæc lætitiæ mirificæq; voluptatis causa est.* &c.

Patrocinium per Episcopos quatuor & duos Diaconos ab eodem Papa quærit.

Ergone Antichristi patrocinium quæsivit, cùm ad eundem Papam Innocentium per Episcopos à Theophilo Alexandrino delegatos iniquè damnatus & depositus tanquam ad visibile Caput Ecclesiæ visibilis, & supremum Judicem Episcoporum appellavit? quatuor ad eundem Episcopos & duos Diaconos mittendo. Baron. Anno 404. apud Jacobum Gaulterium Tabulæ Chronographicæ. Quinto seculo f. 356.

Vides Mayere quo te dementiæ mera tui malè ordinati animi passio & perversitas mentis in diversum agat? An non id est vertigo emotæ mentis, perturbati animi vortex, temulenti genii præcipitium?

Quamobrem ne in nos cadat illud, *cùm videbas furem currebas cum illo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Ps. 49. 18. Quin potius ut intelligas nos veros esse Discipulos Christi, *qui cùm malediceretur non maledicebat, cùm pateretur non comminabatur.* 1. Petr. 2. vers. 23. Optamus tibi ex intimo corde, non ut odio, sed gratiâ, pace, & amore Dei, ac Domini Salvatoris nostri JESU Christi implearis, optamus ut *Deus pacis & dilectionis* sit tecum, tecum inquam ad salubriorem mentem ac meliorem frugem ejusdem accedente gratiâ reduce, nunc, & in æternum.

Ad Lectorem.

HAud invidissem Lutheranis verè aureum Doctorem D. Joan: Chrysostomum, si eum per Veritatis leges Lutheranismo adscribere licuisset. Nunc autem habes benevole, nec affectu partium laborans Lector, eundem Magnum inter Doctores Sanctos Ecclesiæ Lumen, à Lutheranismo Vindicatum. Agnosce, non quod malâ fide huic incorrupto aurei Oris Patri affinxit Mayerus, eum esse Lutheranum; sed quod bonâ fide à me demonstratum, verè Catholico-Romanum; qui fidem Decretis Concilii Tridentini conformem in præcipuis quibusq; fidei controversis Articulis manifestè asserit, totq; irrefragabilibus defendit documentis. Ac proinde quisquis es Dissidentium hanc pro Divo hoc Antistite, apologiam lecturus, quæso, ut ejusdem sententiam amplectaris, illique Ecclesiæ salutem animæ tuæ pretioso Sangvine Christi D. redemtæ committas, in qua eandem securè consequi

ſequi poſſis, vel ideò, quia tot inter, in tantoque Sanctorum hujus Eccleſiæ Patrum Senatu, rutilantem aureo ore Doctorem, ejusdemque fidei Aſſertorem intueris. A cujus unitate ſeparari, dividi, atque ſcindi, eſt *ipſa Corporis Chriſti plenitudine privari*, eſt *irritare DEUM*, eſt *proſcindere Corpus ipſiuſmet*, eſt denique *ipſum peccatum hæreſeos.* Lubeat eum hæc ipſa repetentem audire Tomo 4. in Epiſt. D. Pauli ad Epheſ. cap. 4. hom. 12. Ubi exponens S. Pauli huc loci planè ſpectantia verba. *Unum Corpus, & unus Spiritus, quemadmodum vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus DEUS & Pater omnium &c.* In morali Exhortatione hæc habet. *Itaq; ſi ſpiritu qui à Capite eſt potiri voluerimus, mutuò cohæreamus. Sunt autem duæ Corporis Eccleſiaſtici diviſiones. Una quidem, quando refrigerata in nobis fuerit charitas* (Per quod hæreſes intelligit) *Altera verò quando in Corpus illud auſi fuerimus, quæ nec expiari, nec reſtitui queant.* (Per quod ambitionem prælationis in Eccleſia notat: utrumque autem videre eſt in Reformatione Eccleſiæ præterito ſeculo per Lutherum inchoata) *Nam utrinq; nos ipſa corporis plenitudine privamus, - - - - nihil enim ita DEUM irritat, ſicut Eccleſiæ Diviſio. Et ſi innumera bona operati fuerimus, non minores tamen pœnas dabimus, quàm qui Corpus ipſius proſciderunt, ſi plenitudinem, & integritatem Eccleſiaſticam diſcerpſerimus. - - - - Non dominamur fidei veſtræ Chariſſimi - - - Sermonis nobis Doctrina commendata eſt - - - - Ordinem*

nem

nem tenemus consulentium & hortantium - - - - Propterea & nos ista loquimur, ista dicimus, ne vobis in illo die dicere liceat. Nemo nobis de hac re locutus est - - - - Propterea dico & obtestor, Ecclesiam scindere, non minùs est peccatum, quàm in hæresim incidere. Qui autem in hæresim incidit à veritate & unitate orthodoxæ Ecclesiæ sejunctus est, atq; absq; ea invenitur. *Si quis* autem, concludo cum D. Augustino Lib. 4. de Symb. ad Catechum: *absq; ea inventus fuerit, alienus erit à numero Filiorum, nec habebit DEUM Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere Matrem, nihilq; ei valebit quod credidit, vel fecerit, tanta bona, sine fine summi Boni.* Utinam omnes æqui bonive amantes, amplectantur unum è primis summè necessarium bonum in terris, quod est Veritas Fidei & Ecclesiæ ut veræ, ita bonæ transcendentaliter, Summo & incommutabili aliquando in cœlis Bono, DEO perenniter fruituri!

A. M. D. G. Bq; V. M. I. C.
ac D. I. C. H.

ERRA-

ERRATA.

Errata	Lege	Pagina	Versu
In Doctores	inter Doctores	2.	11.
præterea	prætereo	12.	penult.
δοχῆς	δοξῆς	14.	18.
Quis hos Catholicos	*Omissum* dicat	19.	9.
feritas	veritas	22.	11.
docendum	dicendum	23.	28.
quali	qualis	57.	4.
ulterius	uberius	59.	3.
fine	ſine	71.	3.
nec	&	76.	22.
viâ	viam	78.	24.
ad	ac	80.	3.
poteſtam	poteſtatem	89.	antepenult.
N. Numerus 88.	89. bis	poſitus.	
modò	modo	91.	12.
cum	eum	112.	27
cibit	bibit	113.	16.
tectu	textu	131.	22.
mortuo	mortuos	146. in	Margine.
eum ſuis	cùm ſis	152.	9.
largetur	largietur	168.	5.
arte	artem	208.	22.
tranſubſtantialitatem	Tranſubſtantiationem	209.	24.
Antichriſtus,	*Omiſſum.* Cui Chryſoſtomus	215.	25.

Cætera, ſi quæ irrepsêre, typi ſphalmata, prudens, ac benevolus Lector facilè corriget.